De epistulari Temporum usu Ciceroniano quaestiones grammaticae.

Scripsit
programmati gymnasii Rastenburgiensis
adiunxit

Aemilius Zimmermann.

III.

Rastenburgae.
Typis expressit W. Kowalski.

1890. Progr. Nr. 15.

§ 62. Praeterita et Praesentia quo modo adhibeantur in Ciceronis epistulis ad exprimenda ea, quae vel sunt vel fiunt scribendi tempore, huius opusculi libellis primo et altero[86] exposuisse satis arbitramur; sequitur, ut de exprimendis eis, quae sunt prioris temporis, hoc libello accuratius sit exponendum. Sed antequam accedamus ad ipsam rem tractandam, facere non possumus, quin vel ab initio et ea, quae de hac re grammatici nostri ex parvo exemplorum numero fortuito sibi occurrente, neglecto ceterorum numero multo maiore, et parum recte percepto nonnunquam contextu verborum atque rerum constituerunt nullis certis rationibus moderata,[87] et ea, quae facile quis ex eis, quae protulerunt, concludere potest, maximam partem perversa esse contendamus. Neque enim ex eis, quae collecta contulimus afferemusque inde petita, assentiri eis possumus, qui in epistulis Plusquamperfectum putant de rebus ei, qui scribit litteras, praeteritis eodem modo usurpari solere quo de rebus eidem illi praesentibus Perfectum et Imperfectum.[88] Speramus potius nos posse demonstrare Plusquamperfecti usum, qui quidem ex epistularis sermonis consuetudine trahendus sit, neque eum a significatione huius Temporis vera atque propria alienum finibus suis neque eis late patentibus esse circumscriptum (cf. §§ 99—101) multoque saepius, quin saepissime Perfectum et Imperfectum et Praesens historicum obtinere locum, quem ex grammaticorum illorum legibus Plusquamperfecto vindicaremus. Nec mirum: nam exuenda fuit Plusquamperfecto Tempori relativo natura sua, si eo uti licuisset in epistulis ad ea, quae praeterissent, simpliciter nudeque significanda, ratione alius vel actionis vel condicionis, ad quam referretur, vel expressae vel supplendae non habita.[89]

§ 63. At Perfectum et Imperfectum cum saepe adhiberentur ad significandas res ei, qui scribit litteras, praesentes, futurum fuisse videatur, ut in dubium adduceretur, utrum de tempore praesenti an de praeterito essent intelligenda. Neque tamen ita se rem habere quivis nobis concedet, qui respexerit ea, quae nobis de hac re in mentem venerunt.

---

86. Progrr. Rastenb. 1886. 87.

87. Scheller., Schulz., Ramshorn., Dau., Zumpt., Reisig., Berger., Gossrau., Lattmann. et Mueller. in libris grammaticis a nobis ann. 1—5 citatis aut nihil aut parum certa de hac re protulerunt.

88. Cf. locis citatis Broeder. § 607 b, Feldbausch. § 415, 2. Krueger. § 451, 6. Putsch. § 289, 6. Schottmueller. § 192 C. Madvig. § 345. Ellendt. et Seyffert. § 219. Moiszisstzig. § 593. Kuehner. II, § 38. Herae. § 171, 5 an. Meng. § 607. Suepfl. I, § 190.

89. Cf. Haas. ad Reisig. Scholl. an. 456, p. 505 sq. Eman. Hoffmann, die Construction der lateinischen Zeitpartikeln, Vindob. 1860, p. 10 sq. Luebbert., die Syntax von Quom und die Entwickelung der relativen Tempora im älteren Latein. Vratisl. 1870, § 12, p. 168 sq. Kritz. ad Sall. Cat. XVIII, 3. XXIV, 1. Gossrau. Gr. Lat. § 459 et ann. Suepfl. Prakt. Anl. I, § 187.

Quae si his explicare volumus, quod attinet ad scribendi et mittendi verba locutionesque, Praeterita, de quibus agimus, ita nobis dividendas putamus, ut ad singulas verborum personas animum advertamus.

Ex quibus si legimus tertiae personae formas quales „scripsit, misit“ ad me, ad te, ad alium quemlibet aut alterae personae formas quales „scripsisti, misisti“ ad me, ad alium quemlibet, rei fert natura, ut eas intellegamus de tempore praeterito et de litteris ante scriptis, quam scriberentur eae, in quibus formas illas legimus, nisi forte factum est, ut aut eodem tempore quo is, qui scribebat has, aut paulo post sciente eo alius quis vel scriberet vel mitteret litteras; quod nusquam factum videmus in Ciceronis epistulis.

§ 64. Aliter res se habere videtur, ubi leguntur primae horum Temporum personae, in quibus tractandis scribendi verba a mittendi verbis secernimus atque ipsas illorum verborum personas primas in duas partes ita dividimus, ut altera pertineat ad litteras ad ipsum eum scriptas, ad quem scribuntur eae, in quibus personae illae primae leguntur, altera eas contineat personas primas, quibus adiungitur ad alium quemlibet litteras esse scriptas.

Ac si consideramus scribendi verba primis personis expressa atque eorum eam partem, quam posteriorem posuimus, non magis quam in eis, quae diximus de alteris et tertiis personis, dubium videtur, quin in locis, quales sunt „scripsi, scripsimus ad Caesarem, ad Balbum“ Praeterita ad tempus praeteritum sint referenda. Neque enim ad tempus praesens pertinere possunt, cum non facile quis existimaverit eum, qui scribebat litteras, in quibus verba illa exstant, duas simul scripsisse. At potuit is, qui scripsit, post scriptas litteras, in quibus illa Praeterita leguntur, statim accedere ad litteras ad alium illum, Caesarem, Balbum, scribendas, atque cum scriptae hae litterae ei, qui accepturus erat illas, aeque ac scriptae illae res fuerit praeterita, loci, de quibus agimus, videntur intellegi posse de tempore ei, qui scripsit illas, futuro. Neque tamen id convenit epistulari consuetudini, qua ea, quae nondum sunt facta neque fiunt, dum scribitur epistula, sed adhuc futura sunt, horum verborum Futuris exprimi solent (cf. §§ 102. 103).

§ 65. Quod vero attinet ad partium illarum, quas paullo ante proposuimus, priorem, h. e. ad locos, quales sunt „scripsi, scripsimus ad te“, ipse Cicero, ne quis dubius haereret, ad quod tempus pertinerent, providendum atque praecavendum sibi putavit, cum saepissime personis illis primis adverbia locutionesque quales „ante, antea, proxime, heri, iam pridem, alia epistula, superioribus litteris, iis litteris quas . . . dedi“ apponeret aut alio modo tempus praeteritum significaret. Sed ne eis quidem locis, ubi id factum non esse videmus, tempus dubium videri solet. Nam cum res eae, ad quas verba „scripsi, scripsimus ad te“ spectant, in litteris ipsis non tractantur aut commemorantur, apparere videtur eas iam antea esse scriptas Praeteritaque pertinere ad tempus praeteritum; sed etiam, cum tractantur aut commemorautur in ipsis litteris res, quarum verbis illis fit mentio, certis quibusdam condicionibus Praeterita de tempore praeterita esse intelligenda ex eis appariturum speramus, quae infra afferemus (cf. §§ 70—73). Plerumque vero tum quidem Praeterita ad signifi-

candum tempus ei, qui scripsit litteras, praesens pertinent, soletque, ne dubium sit tempus, in eius modi locis fieri, ut certo quodam modo designetur stili epistularis consuetudinem Praeteritis praesentis temporis tribuisse significationem (cf. § 37). Ex quibus indiciis nos quidem de tempore iudicare possumus; ei tamen, qui accepit litteras, eis non erat opus, cum de tempore dubitare non posset. Neque enim poterat nescire, quae antea sibi essent scripta quaeque ex ipsa, quam legeret, cognosceret epistula.

§ 66. Restat, ut de m i t t e n d i v e r b i s, quae leguntur vel Perfecti vel Imperfecti personis p r i m i s expressa, nonnulla sint dicenda. Quae de tempore p r a e t e r i t o esse dicta nonnunquam appositis eisdem illis t e m p o r i s a d v e r b i i s e t l o c u t i o n i b u s, quae supra commemoravimus, fit perspicuum. Sed etiam eis non appositis haec Praeterita, ubi pertinent ad litteras non ad eum, ad quem scribuntur eae, in quibus verba illa leguntur, sed a d a l i u m q u e m l i b e t missas, velut in locis, quales sunt „m i s i, m i s i m u s a d P o m p e i u m“, cum certum est per a l i u m vel tabellarium vel nuntium vel amicum eas esse missas, non per eum, qui attulit illas, facile cognoscuntur talia, quae usurpata sint de tempore p r a e t e r i t o. Verum et hae et illae litterae per eundem mitti potuerunt vel tabellarium vel amicum. Quod si videmus factum, idem fieri potest quod eis locis, ubi Praeterita illa ad litteras pertinent a d i p s u m e u m missas, qui appellatur verbis „m i s i a d t e“. Et his enim locis et illis facile res eo adduci potuit, ut nos quidem, utrum de tempore praeterito an de praesenti Praeterita sint intelligenda, non possimus diiudicare. At ex eis, quae supra attulimus de significando ipso tempore, quo m i t t a t u r epistula (cf. §§ 37—40), et ex eis, quae infra afferemus in tractandis Praeteritis ad tempus praeteritum spectantibus (cf. §§ 76—81), nos quoque, quomodo res se habeat, cognoscere possumus, nedum cognoverit is, ad quem venerat tabellarius et qui acceperat litteras aut alias res missas, cum scire posset, et quae accepisset ab ipso tabellario, qui modo attulisset litteras, et quae antea sibi essent missa.

§ 67. Quibus quoniam praeteriti temporis in epistulis exprimendi rationem, quod attinet ad s c r i b e n d i et m i t t e n d i verba P e r f e c t o aut I m p e r f e c t o expressa quasi uno in conspectu ponere conati sumus, singula ordine paullum immutato afferre est in animo.

Ac primum quidem s c r i b e n d i verba P e r f e c t i p r i m i s p e r s o n i s expressa, quae pertinent ad litteras ad ipsum eum scriptas, a d q u e m s c r i p t a e s u n t e a e, i n q u i b u s v e r b a i l l a l e g u n t u r, tractabimus (cf. §§ 64. 65).

I. Q u a e P e r f e c t a, ubi eis adicitur vel in a l i a epistula, non in ea, quae scribitur (cf. § 37), vel a l i o, non scribendi t e m p o r e (cf. § 37) quid esse scriptum vel u t r u m q u e, de tempore praeterito esse intellegenda (cf. § 65) his exemplis illustretur:

Att. XV, 15, 1: Ego ad te a l i a e p i s t u l a s c r i p s i de HS. CX., quae Statio curarentur. Q. F. III, 3, 1: Praeterea de aqua, de via n i h i l p r a e t e r m i s i, i n q u a d a m e p i s t u l a quin enucleate ad te p e r s c r i b e r e m. Att. XII, 9: Ne ego essem hic libenter atque id cotidie magis, ni esset ea causa, quam tibi s u p e r i o r i b u s l i t t e r i s s c r i p s i. Fam. XV, 6, 2: Sed causam meae voluntatis, non enim dicam cupiditatis, e x p o s u i tibi s u p e r i o r i b u s l i t t e r i s. Att. X, 6, 1: Meas cogitationes omnis e x p l i c a v i tibi supe-

rioribus litteris. Fam. XV, 13, 3: In primisque tibi curae sit, quod abs te superioribus litteris petivi, ne mihi tempus prorogetur. Fam. XV, 14, 5: De me autem idem tecum his ago litteris, quod superioribus egi. Fam. XIV, 13: Quod scripsi ad te proximis litteris de nuntio remittendo, quae sit istius vis hoc tempore et quae concitatio multitudinis, ignoro.[90]

Q. F. I, 4, 4: Sed de hoc scripsi ad te in ea epistula, quam Phaëthonti dedi. Att. XI, 4, 2: De pensione altera, oro te, omni cura considera, quid faciendum sit, ut scripsi iis litteris, quas Pollex tulit. Fam. III, 3, 1: Nunc, quod a te petii litteris iis, quas Romae tabellariis tuis dedi, velim tibi curae sit. Fam. X, 5, 2: Itaque te non hortor solum, mi Plance, sed plane etiam oro, quod feci iis litteris, quibus tu humanissime respondisti, ut tota mente omnique animi impetu in rem publicam incumbas. Att. X, 12, 3: Tu tamen eas epistulas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito, ne quando quid emanet. Att. X, 1, 2: Expectabo tuum consilium et eas litteras, nisi alias iam dedisti, quas scripsi ut Cephalioni dares.[91]

Att. VII, 16, 1: De mandatis Caesaris adventuque Labieni et responsis consulum ac Pompeii scripsi ad te litteris iis, quas a. d. V. Kal. Capua dedi, pluraque praeterea in eandem epistulam conieci. Att. XII, 20, 1: De Terentia autem scripsi ad te iis litteris, quas dederam pridie. Q. F. I, 3, 4: Sed tamen, quoquo modo potui, scripsi et dedi litteras ad te Philogono, liberto tuo, quas credo tibi postea redditas esse. Fam. V, 4, 1: Itaque ad te litteras statim misi, per quas, ut fortuna postulabat, et gratias tibi egi et de reliquo tempore auxilium petii. Postea mihi non tam meorum litterae quam sermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant; quae res fecit, ut tibi litteris obstrepere non auderem: nunc mihi Quintus frater meus mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsit.

Fam. IX, 2, 1: Conscripsi epistulam noctu; nec ille ad me rediit; oblitum credidi . . . At tibi repente paucis post diebus, cum minime expectarem, venit ad me Caninius mane; proficisci ad te statim dixit. Etsi erat ἕωλος illa epistula, praesertim tantis postea novis rebus allatis, tamen perire lucubrationem meam nolui et eam ipsam Caninio dedi. Att. XIII, 38, 1: Ante lucem cum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te et ante lucem dedi; deinde cum somno repetito simul cum sole experrectus essem, datur mihi epistula a sororis tuae filio, quam ipsam tibi misi.

Att. XI, 25, 3: Quod ad te iam pridem de testamento scripsi, apud epistulas velim, ut possim, advertas. Fam. XII, 29, 2: Nisi forte etiam illi Semproniano senatus consulto me censes adfuisse, qui ne Romae quidem fui, ut tum de eo ad te scripsi, re recenti. Fam. XI, 27, 2: Multa praetereo, quae temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sunt.

---

90. Cf. D. Bruti ep. Fam. XI, 23, 2.
91. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 8, 10. C. Cassii ep. Fam. XII, 12, 1.

Fam. IX, 15, 5: Domum Sullanam desperabam iam, ut tibi proxime scripsi, sed tamen non abieci. Att. XI, 23, 3: Te oro, ut de hac misera cogites, et illud, de quo ad te proxime scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam, et etiam de ipso testamento. Att. XI, 20, 2: Tuas litteras ad eas, quibus a te proxime consilium petivi, vehementer exspecto. Att. XII, 43, 2: Sed, ut ad te heri scripsi, considerabis etiam de Tusculano. Att XII, 33, 1: Ego, ut heri ad te scripsi, si et Silius is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se praebuerit, Damasippum velim aggrediare. Att. XVI, 4, 1: Ita, ut heri tibi narravi vel fortasse hodie — Quintus enim altero die se aiebat — in Nesida VIII. Idus. Att. XV, 13, 3: Quod ad te antea atque adeo prius scripsi — sic enim mavis — ad scribendum tibi, vere dicam, fecisti me acriorem. Att. III, 21: Mihi autem erat in animo, ut antea ad te scripsi (cf. 19, 1. 2), ire in Epirum et ibi omnem casum potissimum expectare. „Scripsi ad te vel ante vel antea" locique similes leguntur praeterea Att. I, 14, 1. 20, 4 (cf. 19, 9). II, 1, 12 (cf. I, 20, 7). III, 2 (cf. 1). V, 15, 3 (cf. 14, 3). 20, 10. VI, 5, 1 (cf. 4, 3). VIII, 12, 6 (cf. 11, 7). 15, 2 (cf. 14, 2). IX, 9, 1 (cf. 7, 2. 3). X, 5, 1 (cf. 4, 1). 14, 1 (cf. 13, 2). XI, 15, 2. 16, 4 (cf. 15, 2). 19, 2. 21, 3 (cf. 20, 1). XII, 14, 4 (cf. 13, 1). 18, 1 (cf. 16). 19, 2 (cf. 18a, 1). 43, 1 (cf. 41, 1. 42, 3). 44, 3 (cf. 41, 1. 42, 3). 48. XIII, 39, 2. XIV, 17, 1 (cf. 15, 4. 16, 1). XV, 1, 2 (cf. XIV, 20, 2). 4, 2 (cf. 3, 1). XVI, 16 B, 8. Fam. I, 7, 2. II, 5, 1. 10, 4. IV, 15, 1. VI, 4, 3. XII, 2, 1. XIII, 75, 1. Q. F. I, 4, 5. III, 5 et 6, 6. [Brut. I, 12, 2] [92]

Ad epistulas non scriptas praeter locum Fam. V, 4, 1 iam paullo supra allatum hi pertinent loci: Fam. V, 19, 2: Mihi consilium captum iam diu est; de quo ad te, non quo celandus esses, nihil scripsi antea. Fam. IX, 17, 3: Haec tibi antea non rescripsi. Att. VII, 26, 4: Tibi autem crebro ad me scribenti de eius officio nihil rescripsi, quod diem ex die expectabam, ut statuerem, quid esset faciendum; nunc, ut video, pueri certe in Formiano videntur hiematuri. Att. XI, 5, 3: Quod tanto intervallo nihil omnino ad vos scripsi, his litteris profecto intelleges rem mihi deesse, de qua scribam, non voluntatem. Fam. XIII, 55, 2: De reliquo mihi mehercule diu dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem. Fam. V, 17, 1: Non oblivione amicitiae nostrae neque intermissione consuetudinis meae superioribus temporibus ad te nullas litteras misi, sed quod priora tempora in ruinis rei publicae nostrisque iacuerunt, posteriora autem me a scribendo tuis iniustissimis atque acerbissimis incommodis retardarunt. Att. XII, 7, 2: De Balbo et in codicillis scripseram et ita cogito, simul ac redierit; sin ille tardius, ego tamen triduum, et quod praeterii, Dolabella etiam mecum.

§ 68. II. Praeteriti temporis significationem tum quoque in Perfecto et Imperfecto inesse facile cognoscitur, cum adiuncto adverbio aliquo aut alio modo actionum in epistularum consuetudine atque officio repetitarum rerumque, quae fieri solebant, vis eis tribuitur.

---

92. Cf. Planci epp. Fam. X, 17, 2, 21, 1. Pollionis ep. Fam. X, 33, 3. D. Bruti ep. Fam. XI, 23, 2.

Perfectum de actionibus repetitis usurpatum satis multis in locis legitur. Adiuncto insuper temporis adverbio „antea" aut locutione tempus praeteritum designante (cf. § 67) Att. I, 16, 16: Ad te ideo antea rarius scripsi, quod non habebam idoneum, cui darem. Fam. I, 7, 2: Unum illud audeo, quod antea tibi saepe significavi, nunc quoque re perspecta et cognita scribere. Fam. XI, 27, 2: Multa praetereo, quae temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sunt. — Non adiuncto temporis adverbio „antea" aut locutione tempus praeteritum designante Fam. III, 11, 5: Bis ad te scripsi me purgans diligenter. Att. XIV, 18, 3: De Montano, ut saepe ad te scripsi, nimium te exorabilem praebuisti. Att. VI, 3, 5: Et, quod paene praeterii, Bruti tui causa, ut saepe ad te scripsi, feci omnia. [Brut. I, 3, 1: Qualis tibi saepe scripsi consules, tales exstiterunt]. Fam. II, 7, 4: Praesens tecum egi, cum te tribunum pl. isto anno fore non putarem, itemque petivi saepe per litteras . . . ut ne quid novi decernatur. Fam. VI, 20, 3: De reliquo, ut te saepe per litteras hortatus sum, ita velim tibi persuadeas te in hac causa nihil habere, quod tibi timendum sit praeter communem casum civitatis. Q. F. I, 2, 1, 2: Neque ego, quae ad te de illo scripsi, scripsi meo iudicio, sed cum ratio salusque omnium nostrum, qui ad rem publicam accedimus, non veritate solum, sed etiam fama niteretur, sermones ad te aliorum semper, non mea iudicia perscripsi.[93]

Imperfectum de rebus, quae fieri solebant, positum invenimus nonnullis in locis, in quibus ei aut adverbium „antea" aut locutio ad tempus praeteritum pertinens est apposita (cf. § 67). Q. F. III, 1, 3, 10: De publicis negotiis, quae vis ad te Tironem scribere, neglegentius ad te antea scribebam, quod omnia minima maxima ad Caesarem mitti sciebam. Cf. Fam. VI, 12, 4. Q. F. I, 1, 1, 1: Nam superioribus litteris, non unis, sed pluribus, cum iam ab aliis desperata res esset, tamen tibi ego spem maturae decessionis adferebam. Att. XIII, 18: Conloqui videbamnr, in Tusculano cum essem; tanta erat crebritas litterarum.

§ 69. III. Perfecta de tempore ei, qui scripsit litteras, praeterito usurpata esse cognoscitur praeterea, ubi in ipsa epistula, in qua exstant, ea, quae eis commemorantur, non tractantur. Videntur enim tum quidem in alia epistula ante scripta esse tractata. Accedit, quod non ita raro id ex verbis ipsis eorum locorum, in quibus haec Perfecta leguntur, perspicere possumus, ac maxime cum eis litteris, ad quas Perfecta pertinent, videmus iam esse responsum (cf. Fam. X, 5, 2: Itaque te non hortor solum, mi Plance, sed plane etiam oro, quod feci iis litteris, quibus tu humanissime respondisti, ut tota mente omnique animi impetu in rem publicam incumbas). Att. IX, 9, 1: Quod laudas, quia oblivisci me scripsi ante facta et delicta nostri amici: ego vero ita facio. Att. XII, 7, 1: Quae desideras, omnia scripsi in codicillis eosque Eroti dedi, breviter, sed etiam plura, quam quaeris, in iis de Cicerone, cuius quidem cogitationis initium tu mihi attulisti. Att. XIII, 32, 3: Et, quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti, credo, quia διὰ σημείων scripseram. Fam. III, 9, 1: Nam quas ex itinere, ante quam ex Asia egressus es, ad me litteras misisti . . . legi perinvitus. Itaque con-

93. Cf. Caelii epp. Fam. VIII, 9, 2. 3. 14. 2. Caesaris ep. Att. IX, 6 A.

scientia meae constantis erga te voluntatis rescripsi tibi subiratus. Iis vero litteris lectis, quas Philotimo, liberto meo, dedisti, cognovi intellexique in provincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent. Att. XII, 11: De Pompeii Magni filia tibi rescripsi nihil me hoc tempore cogitare; alteram vero illam, quam tu scribis, puto nosti: nihil vidi foedius. Att. XV, 26, 5: Novi si quid erit atque etiam si quid prospicies, quod futurum putes, scribas ad me quam saepissime velim, Varroni, quem ad modum tibi mandavi, memineris excusare tarditatem litterarum mearum.[94]

Nonnunquam ea, quorum his Perfectis fit mentio, exstant in aliis, quae ad nostram aetatam pervenerunt, epistulis. Att. XIV, 10, 2: At ego cum tibi de Curtilio scripsi Sextilianoque fundo (cf. 6, 1), scripsi de Censorino (cf 6, 1). Att. IX, 5, 1: Fuit apud me Postumus: scripsi ad te, quam gravis (cf. 2 a, 3). Att. XV, 22: Ego autem scripsi Sextum adventare (cf. 21, 3). Att. XIII, 18 (cf. 16, 2). 25, 1 (cf. 23, 3). 26, 2 (cf. 25, 2). 34 (cf. 33, 4). 47, 1 (cf. 45, 2) XV, 2, 2 (cf. 1 b, 2).[95]

§ 70. IV. Similem rationem sequuntur Perfecta, cum ea, quae dicuntur non esse scripta, in ipsa leguntur epistula. Necesse enim tum' quidem est ea antea non esse scripta (cf. § 67 ad te nihil scripsi antea Fam. V, 19, 2. tibi antea non rescripsi Fam. IX, 17, 3). Idem vero hic quoque ex ipsis verbis eorum locorum, in quibus Perfecta exstant, perspicere possumus. Fam. XIII, 1, 3: Is igitur Patro, cum ad me Romam litteras misisset, uti te sibi placarem peteremque, ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes, nihil scripsi ad te ob eam rem, quod aedificationis tuae consilium commendatione mea nolebam impediri; idem, ut veni Athenas, cum, idem ad te scriberem, rogasset, ob eam causam impetravit, quod te abiecisse illam aedificationem constabat inter omnis amicos tuos (cf. sqq.). Att. Q. F. III, 1, 4, 13: Et, quod praeterii, de eo, quem scripsisti de Milonis plausu scripsisse ad Caesarem, ego vero facile patior ita Caesarem existimare, illum quam maximum fuisse plausum. Cf. Att. VII, 26, 3. XII, 7, 2. Fam. XIII, 55, 2.

§ 71. V. Praeterita, quamquam res, ad quas pertinent, in eadem epistula vel tractatae vel commemoratae sunt, item de tempore praeterito usurpata esse ex eis locis apparere videtur, in quibus inter res illas atque scribendi verba, quae eas respiciunt, aliae quaedam res proximis tractatae intercesserunt (cf. §§ 6. 93).

Quod clarissime ante oculos ponitur, ubi scribendi verbis adiectum est, quo loco epistulae quid sit scriptum. Fam. I, 7, 5: Redeoque ad illud, quod initio scripsi (cf. 5 in.), totius facti tui iudicium non tam ex consilio tuo quam ex eventu homines esse facturos. Fam. II, 7, 2: Sed, amabo te, cura et cogita — nihil novi, sed illud idem, quod initio scripsi (cf. 1). Fam. V, 12, 9: Illa nos cupiditas incendit, de qua initio scripsi (cf. 1), festinationis. Q. F. I, 1, 10, 31: Equidem de isto genere honorum quid sentirem, scripsi ad te ante (cf. 1, 2—4). Fam. I, 9, 17: Ego autem cum illa sequor, quae paullo ante proposui (cf. 12. 13), tum hoc non in postremis, de quo coeperam exponere. Fam. I, 9, 21: Quamobrem, ut paullo ante

94. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 6, 2. D. Bruti ep. Fam. XI, 11, 1. C. Cassii ep. Fam. XII, 12, 1.
95. Cf. Planci ep. Fam. X, 9, 1 (cf. ep. 8).

posui (cf. 21 in.), si essent omnia mihi solutissima, tamen in re publica non alius essem, atque nunc sum. Q. F. I, 1, 3, 11: Atque inter hos eos, quos tibi comites et adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa res publica, dumtaxat finibus eis praestabis, quos ante praescripsi (cf. 1, 2, 7—9). Att. XIV, 19, 5: Venio ad recentiores litteras, quamquam de Servio iam rescripsi (cf. 4). Att. III, 19, 2: Mihi Epirus aut iter ad salutem dabit aut quod scripsi supra (cf. 1). Att. XVI, 16 A, 6: Post interitum autem Caesaris, ut primum ex senatus consulto consules cognoscere instituerunt, haec, quae supra scripsi (cf. 4. 5), ad eos delata sunt. Fam. III, 10, 7: Quererer tecum atque expostularem, ni, ut supra scripsi (cf. 6 in.), purgare me tibi hoc tuo tempore quam accusare te mallem. Fam. VI, 10, 2 (cf. 1). XI, 5, 3. XIII, 28, 3 (cf. 1. 2). 63, 2 (cf. 1).[96]

Apparet non raro idem, quamquam, quo loco epistulae quid scriptum sit, non est appositum, ex ipsis epistulis. Att. IV, 6, 2: Sed ille, ut scripsi (cf. 1 in.), non miser. Fam. II, 16, 7: De Dolabella, quod scripsi (cf. 5), suadeo videas, tanquam si tua res agatur. Att. IX, 10, 3: Sed ea, quae scripsi (cf. 2. 3), me tardarunt et auctoritas maxime tua. Att. IV, 5, 3 (cf. 1). Fam. II, 6, 4 (cf. 3). IV, 3, 4 (cf. 3). VI, 5, 4 (cf. 3). 10, 6 (cf. 4). 13, 5 (cf. 2). VII, 3, 3 (cf. 3 in.). IX, 22, 5 (cf. 4). XIII, 11, 2 (cf. 1). 29, 2 (cf. 1). 33 (cf. in.). 53, 2 (cf. 1). Q. F. I, 2, 2, 7 (cf. 7 med.).

Huc trahendus videtur locus Q. F. III, 2, 3: Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum; qui quidem mirificus illo die, quod paene praeterii, fuit in Gabinium: accusavit maiestatis.

§ 72. VI. Neque minus praeteriti temporis significatio Perfectis vindicanda est in eis locis, quibus aut Revocationis figura exprimitur eum, qui scribebat litteras, aliquo modo scripsisse satis aut Conclusione vel epistulae vel loci eum scripsisse vel omnia vel omnia fere, quae scribere posset (cf. § 5). Fam VII, 10, 2: Sed iam satis iocati sumus. Q. F. III, 8, 6: Omnia fere scripsi. Q. F. III, 9, 9: Rescripsi ad omnia. Att. IX, 9, 4: Respondi epistulis tribus, sed exspecto alias. Att. VI, 1, 23: Respondi etiam minori.

§ 73. VII. Eadem Praeteritorum significatio ex eis locis apparet, in quibus ea, quae vel scripta vel non scripta sunt, opponnutur aut eis, quae vel scribuntur vel non scribuntur, aut eis, quae scribentur aut aliis rebus non ita ad scribendum pertinentibus. Ad hunc usum illustrandum locis multis in tractanda ratione praesentis temporis in epistulis exprimendi allatis (cf. §§ 58—60) hoc loco alios adicimus.

In eis locis, ubi Perfectis ostenditur breviter, quae scripta sint in ea, quae scribitur, epistula, et proponitur item, quae sequantur in eadem, Transitionis figuram reperimus usitatam (cf. § 58). Att. XV, 29, 2: Rescripsi ad omnia tua; nunc nostra accipe. Q. F. III, 1, 4, 11: Rescripsi epistulae maximae; audi nunc de minuscula. Fam. III, 10, 11: Sed haec hactenus; pluribus enim etiam fortasse verbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quae a me perfecta quaeque instituta sint, cognosce. Fam. XIII, 4, 3: Sed haec, quae supra

---

96. Cf. Caelii epp. Fam. VIII, 6, 5 (cf. 3). 10, 2 (cf. 2 in.). D. Bruti ep. Fam. XI, 10, 4.

scripta sunt, eo spectant, ut te horter et suadeam: reliqua sunt, quae pertinent ad rogandum. Att. IV, 16, 13: Paccianae epistulae respondi; cognosce cetera. Att. VI, 2, 3: Quoniam respondi postremae tuae paginae prima mea, nunc ad primam revertar tuam. Att. VI, 1, 22: Habes ad omnia; non, ut postulasti, χρύσεα χαλκείων, sed paria paribus respondimus. Ecce autem alia pusilla epistula, quam non relinquam ἀναντιφώνητον. Fam. VI, 6, 10: Dixi de Caesare; nunc dicam de temporum rerumque natura. Fam. VI, 1, 7: Sed haec longiora fortasse fuerunt, quam necesse fuit; illa, quae minora sunt, brevius exponam. Fam. IX, 6, 4: Sed hoc viderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omnis vitae status paraverunt; huc enim ut venirem, superior longius, quam volui, fluxit oratio.

Nonnunquam in Revocationis figura opponuntur ea, quae in ea, quae scribitur, epistula iam scripta sunt, eis, quae scribi possunt, sed vel non scribuntur vel non scribentur in eadem (cf. § 58). Fam. II, 5, 2: Sed haec ipsa nescio rectene sint litteris commissa: quare cetera cognosces ex aliis. Fam. II, 4, 2: In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem, et hoc, quicquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei. Fam. VI, 13, 4: Quoniam, quid sentirem, exposui, quid velim tua causa, re potius declarabo quam oratione. Fam. IV, 10, 2: Sed quoniam, quid mihi placeret, ostendi, reliqua tu pro tua prudentia considerabis.

§ 74. Opponuntur ea, quae vel scripta vel non scripta sunt in alia epistula, eis, quae scribuntur in ea, quae scribitur, epistula, his in locis (cf. § 58): Fam. XIII, 19, 2: Cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus . . . explorata vero eius incolumitate omnia a te studio summo curaque peto. Quae ne singula enumerem, totam tibi domum commendo. Fam. XIII, 55, 5: De reliquo mihi mehercule diu dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem . . . Sed tamen, cum me non fugiat, quanta sit in praetore auctoritas . . . peto abs te . . . ut voluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut M. Antonius intellegat te et sibi amicum esse . . . et multo amiciorem his meis litteris esse factum.

Opponuntur ea, quae in alia epistula scripta sunt, eis, quae scribentur in ea, quae scribitur, epistula, hoc loco: Q. F. II, 3, 1: Scripsi ad te antea superiora; nunc cognosce, postea quae sint acta.

Opponuntur ea, quae scripta sunt in alia epistula, eis, quae scribentur et in ea, quae scribitur, epistula et in aliis, hoc loco: Fam. XIII, 27, 1: Licet eodem exemplo saepius tibi huius generis litteras mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter observes — quod feci in aliis et faciam, ut video, saepius — sed tamen non parcam operae, et, ut vos soletis in formulis, sic ego in epistulis de eadem re alio modo.

Opponuntur epistulae totae antea non scriptae litteris eis, quae scribuntur, Att. XI, 5, 3: Quod tanto intervallo nihil omnino ad vos scripsi, his litteris profecto intelleges rem mihi deesse, de qua scribam, non voluntatem.

Opponuntur epistulae totae antea scriptae aliis postea scribendis

Att. XIII, 18: Conloqui videbamur, in Tusculano cum essem; tanta erat crebritas litterarum. Sed id quidem iam erit.[97]

Opponuntur ea, quae vel scripta vel non scripta sunt in alia epistula, simul et rebus non ita ad scribendum pertinentibus, quae sunt et eius temporis, quo scribitur epistula, et posterioris, et eis, quae scribentur in alia epistula, his in locis: Q. F. I, 2, 4, 13: Quae ad te aliqua cum monitione aut obiurgatione scripsi, scripsi propter diligentiam cautionis meae, in qua et maneo et manebo et, idem ut facias, non desistam rogare. Att. VII, 26, 3: Tibi autem crebro ad me scribenti de eius officio nihil rescripsi, quod diem ex die exspectabam, ut statuerem, quid esset faciendum; nunc, ut video, pueri certe in Formiano videntur hiematuri. Et ego? Nescio. Si enim erit bellum, cum Pompeio esse constitui. Quod habebo certi, faciam, ut scias.

§ 75. Perfecti personas primas item ad res praeteritas pertinere elucet, ubi eis adiunctum est epistulas ad alios, qui nominantur, esse vel scriptas vel non scriptas (cf. § 64). Adiecto insuper temporis vel adverbio vel locutione haec Perfecta leguntur Att. XIII, 33, 5: Scripsi enim ad eum heri Idibus eius opera mihi nihil opus esse. Att. VII, 1, 8: Ad eos ego etiam antea scripsi, scripsi ad ipsum Hirrum. Att. XV, 3, 1: De † malo scripsi iam pridem ad Dolabellam accuratissime, modo redditae litterae sint. Att. XV, 14, 1: Statim ei rescripsi et multis verbis gratias egi. Fam. VI, 18, 1: Simul atque accepi a Seleuco tuo litteras, statim quaesivi e Balbo per codicillos, quid esset in lege. Fam. XIV, 10: Quid fieri placeret, scripsi ad Pomponium serius, quam oportuit. Att. XI, 12, 1: Nihil opus est mihi nova ratione; saepe enim ad eum scripsi. Fam. VII, 10, 3: Ego de te ad Caesarem quam diligenter scripserim, tute scis; quam saepe, ego ... Sed tamen iis litteris, quas proxime dedi, putavi hominem commonendum. Id feci.[98] — Adiecta negatione haec Perfecta exstant Fam. XV, 3, 1: Publice propter duas causas nihil scripsi. Q. F. III, 1, 7, 25: Ad eas ego ei litteras nihil rescripsi, ne gratulandi quidem causa, propter eius luctum. Fam. VII, 9, 1: Ad eum propter eius luctum nihil sum ausus scribere; ad Balbum tamen scripsi. Att. XI, 5, 3: Ego propter incredibilem et animi et corporis molestiam conficere pluris litteras non potui; iis tantum scripsi, a quibus acceperam. — Neque temporis aut adverbiis aut locutionibus neque negationibus adiectis „scripsi ad ...“ hac ratione usurpatum legitur Att. VII, 1, 9: Scripsi ad Terentiam, scripsi etiam ad ipsum me quicquid possem nummorum ad apparatum sperati triumphi ad te redactum. Att. X, 5, 3: Rescripsi ei stomachosius, cum ioco tamen familiari; nunc, quoniam agit liberaliter, nihil accuso hominem, scripsique ad eum me a te certiorem esse factum. Att. XIII, 50, 1: Conscripsi de iis ipsis libris epistulam Caesari, quae deferretur ad Dolabellam, sed eius exemplum misi ad Oppium et Balbum, scripsique ad eos, ut

97. Cf. Caesaris ep. Att. IX, 6 A.
98. Cf. C. Asinii Pollionis epp. Fam. X, 32, 5. 33, 3.

tum deferri ad Dolabellam iuberent meas litteras, si ipsi exemplum probassent. Cf. scripsi Att. II, 1, 12. III, 8, 4. 9, 3. V, 8, 3. 11, 6. 18, 1. 19, 1. VI, 2, 9. 4, 2. VII, 3, 12. VIII, 9, 1. X, 18, 2. XI, 11, 2. 18, 1. XII, 5, 2. 18, 2. 23, 3. 30, 1. XIII, 21, 4. 25, 2. 51, 1. XIV, 16, 4. 17, 4. 19, 4. XV, 6, 1. 8, 1. 15, 1. 18, 1. XVI, 2, 5. 3, 5. 11, 4. 7. 16, 1. Fam. II, 17, 7. VII, 9, 1. 30, 3. XIV, 1, 5. XVI, 4, 1. 2. 9, 4. 14, 1. 23, 1. Q. F. III. 1, 5, 18. [Brut. I, 5, 3. II, 5, 3]. dedi operam, ut scriberem Fam. II, 17, 6. perscripsi Att. VI, 3, 7. adscripsi Att. X, 11, 5. rescripsi Att. VI, 1, 21. VII, 17, 4. XI, 5, 3. XII, 32, 1. 49, 1. XV, 6, 4. Fam. VII, 8, 1. Q. F. II, 12, 5. respondi Att. X, 15, 1. Att. XV, 14, 1: Statim ei rescripsi et multis verbis gratias egi. Att. I, 16, 16: Antonio tuo nomine gratias egi eamque epistulam Mallio dedi. Fam. I, 10: Lentulo nostro egi per litteras tuo nomine gratias diligenter. Fam. XIV, 2, 2: Eum, ut potui, per litteras cohortatus sum gratiasque egi, ut debui. Fam. XV, 4, 5: Cuius ego studio officioque commotus egi ei per litteras gratias, idque ut maturaret, cohortatus sum. Att. XVI, 8, 1: Docui per litteras id nec opus esse nec fieri posse.[99] — Ad scriptos libros similiaque scribendi verba primis Perfecti personis expressa pertinent Att. X, 4,4. XII, 20, 2. 45, 1. XIII, 14, 2. 18. 19, 3. 4. 21,4. XV, 15, 1. XVI, 11, 4. Fam. I, 9, 23. XII, 17, 2. XV, 20, 1. Q. F. II, 9, 1. III, 1, 4, 11. 5 et 6, 1.[100]

§ 76. Veniamus ad mittendi verba primis Perfecti et Imperfecti personis expressa, ac primum ad eas personas primas, quae sunt positae de epistulis aut de rebus aliis aut de hominibus ad eum, ad quem scribitur, missis (cf. § 66).

I. Quae, ubi adverbiis aut locutionibus aperte indicatum est alio, non scribendi tempore quid esse missum aut alias, non eas, quae scribuntur, litteras esse datas, sine dubio ad significandum tempus praeteritum pertinent. Trahendi huc quoque loci sunt non ita pauci in tractandis scribendi verbis iam allati (§ 67), quibus hoc loco hos adicimus:

Att. IX, 11, 2: Huic ego in multo sermone epistulam ad me Caesaris ostendi, eam, cuius exemplum ad te antea misi, rogavique, ut interpretaretur, quid esset, quod ille scriberet. Att. IX, 13, 1: Quod valde discrepat ab aliis epistulis, quarum exempla antea ad te misi. Att. XII, 49, 2: Heri enim misi, qui videret; cui etiam ad te litteras dedi. Att. XI, 10, 2: Plura ad te scribam, si mihi ad eas litteras, quas proxime ad te dedi, rescripseris. Att. XIV, 11, 1: Nudius tertius dedi ad te epistulam longiorem; nunc ad ea, quae proxime. Fam. IX, 2, 1: Etsi erat ἕωλος illa epistula, praesertim tantis postea novis rebus allatis, tamen perire lucubrationem meam nolui et eam ipsam Caninio dedi. Att. XV, 14, 1: VI. Kalend. accepi a Dolabella litteras, quarum exemplum tibi misi, in quibus erat omnia se fecisse, quae tu velles. Statim ei rescripsi et multis verbis gratias egi. Att. XI, 10, 1: Multa postea Patris simili scelere secum Quintum patrem locutum, cuius furorem

---

99. Cf. Q. Metelli ep. Fam. V, 3, 2. C. Cassii ep. Fam. XII, 12, 1. Lentuli ep. Fam. XII, 14, 3. Brut. ep. [Brut. I, 6, 1].

100. Cf. Caecinae ep. Fam. VI, 7, 3.

ex iis epistulis, quas ad te misi, perspicere potuisti. Fam. II, 7, 3: De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim quamque difficili in re atque causa, cognosces ex iis litteris, quas Thraseoni, liberto tuo, dedi.[101]

Ad epistulas non missas hi spectant loci (cf. § 67): Att. X, 11, 1: Obsignata iam epistula superiore non placuit ei dare, cui constitueram, quod erat alienus. Itaque eo die data non est. Interim venit Philotimus et mihi a te litteras reddidit. Fam. VI, 22, 1: Non ea res me deterruit, quo minus, postea quam in Italiam venisti, litteras ad te mitterem, quod tu nullas ad me miseras, sed quia . . . nec quid consolationis adferrem in tantis malis, reperiebam. Haec quamquam nihilo meliora sunt nunc atque etiam multo desperatiora, tamen inanis esse meas litteras quam nullas malui. Att. VII, 19: Nihil habeo, quod ad te scribam, qui etiam eam epistulam, quam eram elucubratus, ad te non dederim. Q. F. II, 14, 3: His diebus — ignosces — cui darem fuit nemo ante hunc M. Orfium

§ 77. II. Perfecta de re repetita dicta ad designandum tempus praeteritum pertinent (cf. § 68) Att. IV, 17, 1: Puto te existimare me nunc oblitum consuetudinis et instituti mei rarius ad te scribere, quam solebam; sed quoniam loca et itinera tua nihil habere certi video, neque in Epirum neque Athenas neque in Asiam cuiquam nisi ad te ipsum proficiscenti dedi litteras. Fam. XII, 18, 1: Epistulas requiris meas; ego autem numquam, cum mihi denuntiatum esset a tuis ire aliquem, non dedi. Fam. XII, 19, 3: Litteras ad te numquam habui, cui darem, quin dederim. Fam. XII, 30, 1: Sed quis umquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? Fam. II, 10, 1: Equidem numquam domum misi unam epistulam, quin esset ad te altera. Att. XI, 19, 1: Cum tuis dare possem litteras, non praetermisi, etsi, quid scriberem, non habebam. Tu ad nos et rarius scribis, quam solebas, et brevius, credo, quia nihil habes, quod me putas libenter legere aut audire posse. Fam. II, 1, 1: Equidem neminem praetermisi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui litteras non dederim.

Imperfectum hac ratione positum invenimus Att. XIII, 18: Conloqui videbamur, in Tusculano cum essem; tanta erat crebritas litterarum.

§ 78. III. Ex rebus ipsis, quas continet eadem epistula, Perfecta de tempore praeterito usurpata esse non ita raro intellegitur (cf. §§ 66. 67. 69). Fam. III, 6, 2: Itaque et consilium mutavi et ad te statim mea manu scriptas litteras misi, quas quidem ex tuis intellexi satis mature ad te esse perlatas. Q. F. I, 3, 1: Mi frater . . . tune id veritus es, ne ego iracundia aliqua adductus pueros ad te sine litteris miserim? (Cf. 2: Nam quod ad te pueri sine litteris venerunt, quoniam vides non fuisse iracundiam causam, certe pigritia fuit et quaedam infinita vis lacrimarum et dolorum). Att. XVI, 6, 4: „De Gloria“ librum ad te misi; at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio . . . Itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi.

---

101. Cf. Planci ep. Fam. X. 18, 1.

Cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque statim novum prooemium exaravi et tibi misi. Tu illud desecabis, hoc adglutinabis. Att. IX, 9, 2: Itaque postea Demetrii librum de concordia tibi remisi et Philotimo dedi (cf. 3: Philotimum, ut ais epistula tertia, exspectabas [cf. 1: Tris epistulas tuas accepi postridie Idus]. At ille Idibus a me profectus est). Att. V, 12, 1: Inde Gyarum saevo vento, non adverso; hinc Scyrum, inde Delum, utroque citius, quam vellemus, cursum confecimus . . . De Messalla ad te statim, ut audivi, de Gyaro dedi litteras.[102]

§ 79. IV. Perfecta de rebus antea missis esse intellegenda ex aliis epistulis nos quidem cognoscimus. Ei scilicet, qui accepit vel litteras vel res aliquas ab eo, qui scripsit, missas, nequaquam id in dubio esse potuit (cf. §§ 66. 69). Att. I, 20, 6: De meis scriptis, misi ad te Graece perfectum consulatum meum. Eum librum L. Cossinio dedi (cf. 19, 10: Commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te. 11: Cossinius hic, cui dedi litteras, valde mihi bonus homo . . . visus est). Att. IX, 9, 3: Itaque nimirum hoc illud est, quod Caesar scribit in ea epistula, cuius exemplum ad te misi, se velle uti „consilio" meo; age, esto: hoc commune est; „gratia"; ineptum id quidem, sed, puto, hoc simulat ad quasdam senatorum sententias; „dignitate"; fortasse sententia consulari. Illud extremum est, „ope omnium rerum" (cf. 6, 6: Quid autem me roget, paucis ille quidem verbis, sed ἐν δυνάμει, cognosce ex ipsius epistula. 6 A, Caesaris ep.: Imprimis a te peto, quoniam confido me celeriter ad urbem venturum, ut te ibi videam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim).

§ 80. Ubi agitur vel de litteris vel de aliis rebus vel de hominibus ad alios, non ad eum, ad quem scribitur, missis, mittendi verba primis Perfecti personis expressa de rebus praeteritis sunt intelligenda (cf. § 75). Adiectis temporis vel adverbiis vel locutionibus. Att. XII, 49, 2: De Tirone, mihi curae est. Sed iam sciam, quid agat. Heri enim misi, qui videret; cui etiam ad te litteras dedi. Fam. VII, 10, 3: Sed tamen iis litteris, quas proxime dedi, putavi esse hominem commonendum. Id feci. Fam. II, 10, 1: Equidem numquam domum misi unam epistulam, quin esset ad te altera. — Att. VIII, 2, 1: Ego ad Caesarem unas Capua litteras dedi, quibus ad ea rescripsi, quae mecum ille de gladiatoribus suis egerat. Alteras eodem die dedi, quo has ad te. Non potui non dare, cum et ipse ad me scripsisset et Balbus. Earum exemplum ad te misi. — Temporis adverbiis aut locutionibus non adiectis Att. VII, 1, 9: Quibus de rebus propter casum navigandi per binos tabellarios misi Romam litteras publice. Att. XIII, 41, 1: Ego vero Quinto epistulam ad sororem misi. Att. XIII, 30, 1, 2: In Cumanum hodie misi tabellarium; ei dedi tuas ad Vestorium, quas Pharnaci dederas. Att. I, 16, 16: Antonio tuo nomine gratias egi eamque epistulam Mallio dedi. Att. II, 1, 12: Ad Octavianum dedi litteras; cum ipso nihil eram locutus. Att. VIII, 3, 7. X, 7, 2. XI, 16, 4. XII, 40, 1. 50, 1. 51, 1. 2. XV, 14, 1. XVI, 16, 1. Fam. III, 9, 4. XIV, 3, 3. 4. XV, 21, 4. XVI, 9, 3. Q. F. II, 12, 4. 13 (15a), 3. III, 1, 3, 9.[103]

---

102. Cf. Caelii epp. Fam. VIII, 2, 2. 8, 10. Cassii ep. Fam. XII, 12, 1.

103. Cf. Pompei ep. Att. VIII, 12 A, 1. 4. Planci epp. Fam. X, 21, 3. 24, 4. Asinii Pollionis ep. Fam. X, 31, 6. D. Bruti epp. Fam. XI, 4, 2. 19. 26. Lentuli ep. Fam. XII, 13, 3.

§ 81. Sed cum videmus epistulas aliis reddendas simul cum eis, quae scribuntur, esse missas, Praeterita de tempore ei, qui scripsit, praesenti intelligenda esse videntur (cf. §§ 9. 66). Att. XIV, 16, 4: Flammam Flaminium audio Romae esse. Ad eum scripsi me tibi mandasse per litteras, ut de Montani negotio cum eo loquerere, et velim cures epistulam, quam ad eum misi, reddendam, et ipse, quod commodo tuo fiat, cum eo conloquare. Fam. VII, 30, 3: Ad eum de te diligentissime scripsi eamque epistulam cum hac epistula coniunxi, quam ille quo modo acceperit et quid tibi pollicitus sit, velim ad me scribas. Fam. III, 7, 1: Pluribus verbis ad te scribam, cum plus otii nactus ero. Haec scripsi subito, cum Bruti pueri Laodiceae me convenissent et se Romam properare dixissent. Itaque nullas iis praeterquam ad te et ad Brutum dedi litteras. Att. XII, 18, 2: Epistulam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, scripsi, misi ad te. Curabis cum tua perferendam. Eius tamen misi ad te exemplum, ut, si minus placeret, ne mitteres.

§ 82. Absolutis primis Praeteritorum personis ad alteras et tertias accedimus agemusque simul in universum, quo modo exprimatur ante scribendi tempus res aliquas ab eo, qui accepturus est litteras, quae scribuntur, aut ab alio esse scriptas aut res aut personas esse missas.

Qua ratione cum usurpantur scribendi verba,

I. Perfectum adhibetur ad rem praeteritam simpliciter nudeque significandam, alius vel actionis vel condicionis ratione non habita.

Att. IX, 5, 1: Natali die tuo scripsisti epistulam ad me plenam consilii summaeque cum benevolentiae tum etiam prudentiae: eam mihi Philotimus postridie, quam a te acceperat, reddidit. Att. X, 4, 5: Sed exspecto tuas litteras; scripsisti enim te scripturum esse plura, cum ipsum vidisses. Fam. III, 8, 9: De rebus urbanis quod me certiorem fecisti, cum per se mihi gratum fuit, tum quod significasti tibi omnia mea mandata curae fore. Att. XII, 23, 1: Putaram te aliquid novi . . . sed videlicet meis litteris respondisti, ut de foro et de curia. Fam. XI, 21, 1: Te tamen, mi Brute, sic amo, ut debeo, quod istud, quidquid esset, nugarum me scire voluisti. Signum enim magnum amoris dedisti. Att. I, 8, 2. 9, 2. 13, 4. 20, 1. III, 8, 3. 15, 6. V, 5, 1. 9, 2. VII, 3, 6. XI, 5, 1. 7, 1. 17, 1. 18, 2. 24, 1. XII, 26, 2. 29, 2. 34, 2. 42, 1. 47, 1. XIII, 1, 1. 35 et 36, 2. XIV, 13 B, 2. 16, 4. XV, 3, 1. 21, 2. 27, 3. XVI, 7, 3. 14, 1. 15, 5. 6. Fam. V, 20, 1. VII, 27, 2. X, 5, 2. 20, 2. XI, 14, 3. 29, 1. XII, 17, 1. 30, 6. XIV, 8. Q. F. I, 2, 1, 1. 3, 7. II, 2, 1. II, 15b, 2. III, 1, 4, 13. [Brut I, 9, 1. II, 4, 3].[104] — De re repetita Att. III, 22, 2: Saepe enim tu ad me scripsisti eum totum esse in illius potestate. Fam. VI, 12, 4: Recordare tuas litteras, quibus et magnum animum mihi semper ostendisti et ad omnis casus ferendos constantem ac paratum. Att. XII, 41, 3: Sin autem tibi Tusculanum placet, ut significasti quibusdam litteris, tibi adsentiar. Att. I, 3, 3. Fam. V, 12, 9. XII, 25a, 7. Q. F. II, 3, 6. — Negatione adiecta Fam, VII, 10, 2: Sed tu in ista epistula nihil mihi scripsisti de tuis rebus, quae

---

104. Cf. Balbi ep. Att. IX, 7 A, 1. Vatinii ep. Fam. V, 10 a, 1. Caelii ep. Fam. VIII, 16, 1. Planci ep. Fam. X, 11, 1. Ciceronis F. ep. Fam. XVI, 21, 7. Q. Ciceronis ep. Fam. XVI, 27, 1. Bruti ep. [Brut. II, 5, 4].

hercule mihi non minori curae sunt quam meae. Fam. II, 17, 6: Solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo sunt, certiorem me numquam fecisti, quam valde Bibuli voluntas a me sine causa abhorreret. Att. I, 3, 2. XI, 7, 4. Fam. VII, 18, 4.

Att. V, 17, 4: Sestius ad me scripsit, quae tecum esset de mea domestica et maxima cura locutus. 5: Idem scripsit Hortensium de proroganda nostra provincia dixisse nescio quid. Att. VII, 21, 2: Consul ei rescripsit, ut prius ipse in Picenum. Att. VIII, 4, 2: Quibus litteris ita respondit, ut ego nemini, cuius causam non reciperem. Fam. XIII, 27, 2: Incredibilis mihi gratias per litteras egit. Att. III, 22, 2. V, 28, 9. VI, 1, 7. 5, 3. VII, 2, 3. 13 a, 3. 24. 26, 4. IX, 6, 1. 9, 2. 13, 6. 15, 1. X, 2, 2. 11, 1. 4. 16, 3. XI, 12, 1. 14, 3. 15, 2. 16, 4. 21, 1. 23, 1. XII, 17. 21, 1. 23, 3. 25, 1. 31, 3. 32, 3. 37, 4. 38, 2. 41, 4. 49, 1. XIII, 2, 3. 19, 2. 21, 4. 33, 2. 49, 1. 50, 1. 2. 51, 2. XIV, 13, 6. 19, 2. 3. 21, 1. XV, 1, 5. 4, 3. 8, 2. 15, 4. XVI, 4, 2. 15, 5. 16 A, 4. Fam. II, 19, 2. III, 13, 1. IV, 1, 1. V, 8, 1. VI, 11, 2. VII, 8, 1. IX, 6, 1. XIII, 24, 1. 72, 1. XV, 2, 2. XVI, 23, 1. Q. F. II, 14, 4. 16, 5. III, 1, 3, 10. 5 et 6, 3. [Brut. I, 1, 2].[105] — De re repetita Att. X, 15, 4: Saepe enim adscripsit, ut Gallio, quantum is vellet, darem. Fam. VII, 17, 2: Quod ille ita et accepit et mihi saepe litteris significavit et tibi et verbis et re ostendit mea commendatione se valde esse commotum. — Negatione adiecta Att. XV, 15, 4: Ad me enim de hac re nihil scripsit, ad quem nimirum potissimum debuit. Scripsit hoc autem ad Tironem, sibi post Kal. April . . . nihil datum esse. — Passivum legitur Att. XIII, 50, 3: De adventu Caesaris idem, quod a te, mihi scriptum est ab Oppio et Balbo. Fam. X, 10, 5: Cuius sermo stultus erat iam ante ad me a M. Caelio, familiari nostro, perscriptus; de quo item sermone multa scripta sunt abs te. Fam. XIV, 5, 1: Omnes sunt redditae diligentissimeque a te perscripta sunt omnia. Att. VI, 2, 1. IX, 17, 2. XV, 16 a. Fam. III, 8, 4. 9, 1. X, 10, 4. XIV, 8. XV, 6, 2. Q. F. I, 2, 3, 10.

§ 83. II. Imperfectum de eo, quod fieri solebat, usurpatum legitur his in locis: Fam. XV, 20, 2: Crebris nos litteris appellato, atque ita, si idem fiet a nobis. Quamquam duae causae sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas quam nos: primum quod olim solebant, qui Romae erant, ad provincialis amicos de re publica scribere, nunc tu nobis scribas oportet. Att. IV, 16, 1: De epistularum frequentia te nihil accuso, sed pleraeque tantum modo mihi nuntiabant, ubi esses, vel etiam significabant recte esse, quod erant abs te.

Nonnunquam Imperfectum significat id, quod in eo fuisse cogitetur, ut fieret eodem tempore, quo quid aliud aut fieret aut esset.

Ad scribendi tempus praeteritum scribendi verbum Imperfecto expressum hac ratione pertinet uno in loco, in quo in enuntiatione minore pendet ex coniunctione cum et refertur ad aliam actionem in enuntiatione maiore exstantem, quae et ipsa Imperfecto est expressa (cf. § 86). Att. XIV, 8, 1: Tu me iam rebare, cum scribebas, in actis esse nostris, et ego accepi XVII. Kal. in deversoriolo Sinuessano tuas litteras.

---

105. Cf. Caecinae ep. Fam. VI, 7, 2. Caelii ep. Fam. VIII, 10, 1. Planci ep. Fam. X, 17, 1. Lentuli ep. Fam. XII, 14, 5.

Ad id tempus, quo dabatur epistula, dandique actionem Imperfectum referendum est hoc in loco (cf § 86): Fam. III, 7, 3: Quid? Cum dabas iis litteras, per quas mecum agebas, ne eos impedirem, quo minus ante hiemem aedificarent, non eos ad me venturos arbitrabare?

In aliis locis scribendi verba, cum referantur ad Praeterita verborum vel accipiendi vel legendi actionem significantium, quae aut antecedunt aut supplenda sunt, ad accipiendi et legendi tempus praeteritum pertinent. Videtur enim is, qui scribebat epistulam, in qua haec Imperfecta invenimus, in scribendis ipsis locis, in quibus exstant haec Imperfecta, non habuisse ante oculos epistulam eam, cui respondebat, sed ex memoria scripsisse ea, quae potissimum meminisset se legisse in epistula antea sibi reddita. Quae quamquam non semper ad illud accipiendi et legendi tempus solum spectabant, tamen, quod tum maxime eius, qui acceperat epistulam, commoverant animum, Imperfecto expressa videntur.

Att. XIV, 17, 1: Ibi mihi cenanti litterae tuae sunt redditae, quas dederas Demetrio liberto pr. Kal., in quibus multa sapienter, sed tamen talia, quem ad modum tute scribebas, ut omne consilium in fortuna positum videretur. Fam. IV, 14, 1: Binas a te accepi litteras Corcyrae datas; quarum alteris mihi gratulabare, quod audisses me meam pristinam dignitatem obtinere, alteris dicebas te velle, quae egissem, bene et feliciter evenire. Att. IX, 11 A, 1: Ut legi tuas litteras, quas a Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem essem, te velle uti consilio et dignitate mea, minus sum admiratus: de gratia et de ope quid significares, mecum ipse quaerebam. Fam. X, 26, 1: Lectis tuis litteris, quibus declarabas aut omittendos Narbonenses aut cum periculo dimicandum, illud magis timui, hoc vitatum non moleste fero. Fam. XIII, 68, 1: Gratae mihi vehementer tuae litterae fuerunt, ex quibus cognovi cursus navigationum tuarum. Significabas enim memoriam tuam nostrae necessitudinis, qua mihi nihil poterat esse iucundius. Att VI, 9, 3. XII, 42, 1. Fam. II, 1, 1. 13, 1. III, 6, 4. 7, 2. IX, 12, 2. [Brut. I, 15, 3].

Att. V, 21, 4: Eas Laodiceae denique, cum eo venissem, tertio Idus Februar. Laenius mihi reddidit . . . Eae litterae cetera vetera habebant, unum hoc novum, de Cibyratis pantheris. Att. V, 3, 2: Nullas enim adhuc acceperam praeter quae mihi binae in Trebulano redditae sunt, quarum alterae edictum P. Licinii habebant. Att. XI, 7, 2: Nam ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se litterarum, in quibus erat se audisse Catonem et L. Metellum in Italiam venisse . . . Itaque Antonius petebat a me per litteras, ut sibi ignoscerem. Att. IV, 16, 1: De epistularum frequentia te nihil accuso, sed pleraeque tantum modo mihi nuntiabant, ubi esses, vel etiam significabant recte esse, quod erant abs te. Att. VI, 1, 2. X, 16, 1. XIII, 45, 1. Fam. II, 15, 5. III, 11, 1.[106]

§ 84. III. Praesens ita usurpatur, ut is, qui scribit, epistulam ab alio ante scriptam, dum ei respondet, ante oculos habuisse et res in ea scriptas, cum respondendi tempore adhuc in ea exstent et remaneant, tanquam praesentes animo suo vivide proposuisse videatur. Quae

---

106. Cf. D. Bruti ep. Fam. XI, 11, 1.

Praesentia cum in omnibus fere epistularum paginis legantur, colligere non necesse est; nonnulla hoc loco satis erit afferre.

Fam. I, 7, 1: Legi tuas litteras, quibus ad me scribis gratum tibi esse, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus. Fam. I, 9, 3, 4: De qua ratione tota iam videtur mihi exponendi tempus dari, ut tibi rescribam ad ea, quae quaeris. Certiorem te per litteras scribis esse factum me cum Caesare et cum Appio esse in gratia teque id non reprehendere adscribis. Vatinium autem scire te velle ostendis quibus rebus adductus defenderim et laudarim. Att. VI, 1, 1: Recentissimas a Cybistris te meas litteras habere ais a. d. X. Kalendas Octobris datas et scire vis, tuas ego quas acceperim. Omnes fere, quas commemoras, praeter eas, quas scribis Lentuli pueris et Equotutico et Brundisio datas. Att. I, 4, 1. 3. II, 9, 1. 16, 4. III, 17, 1. VII, 25. 26, 1. IX, 8, 1. XI, 2, 1. 2. 25, 1. XII, 15, 3. 26, 2. XIII, 25, 1. 2. XIV, 13, 1. 19, 4. XV, 19, 1. Fam. I, 7. 2. 10. 11. 9, 1. 19. III, 4, 2. 5, 1. V, 2. VI, 17, 1. VII, 8, 1. IX, 15, 3. 16, 2. 8. 19, 1. 2. Q. F. III, 1, 7, 23 etc.

Att. XII, 26, 1: Sicca, ut scribit, etiamsi nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit X. Kal. esse venturum. Att. II, 16, 4: Nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis movere possit; ita rursus remittit, ut me roget, ut annales suos emendem et edam. Illud tamen, quod scribit, animadvertas velim, de portorio circumvectionis; ait se de consilii sententia rem ad senatum reiecisse. Att. XV, 19, 1: Theophanes quid velit, nescio. Scripserat enim ad me. Cui rescripsi, ut potui. Mihi autem scribit venire ad me se velle. Att. I, 12, 2. 19, 11. III, 15, 3. 17, 3. 22, 2. V, 21, 3. VI, 1, 5. 19. VII, 16, 2. VIII, 9, 4. 16, 1. 12 C, 1. IX, 9, 3. 13, 8 X, 3 a, 2. 9, 1. XI, 13, 2. XII, 21, 1. 32, 1. XIII, 7, 1. 12, 4. 47 a. XIV, 18, 4. XV, 5, 1. 2. 8, 1. 21, 1 XVI, 14, 4. Fam. III, 1, 3. VII, 8, 2. XIII, 24, 2. XVI, 11, 1.[107] — Passivum legitur Fam III, 10, 6: Sed tamen significatur in tuis litteris suspicio quaedam et dubitatio tua.[108]

§ 85. Et Perfecti aut Imperfecti et Praesentis personae aut alterae aut tertiae in eadem nonnunquam exstant epistula. Plerumque tum quidem Praeterita ad totam epistulam, Praesentia ad res singulas in ea scriptas pertinent (cf. § 89).

Att. XV, 3, 1: Undecimo Kal. accepi duas epistulas tuas, quibus duabus meis respondisti . . . Accurres in Tusculanum, ut scribis, quo me VI. Kal. venturum arbitrabar. Quod scribis parendum victoribus, non mihi quidem, cui sunt multa potiora; nam illa, quae recordaris, Lentulo et Marcello consulibus acta in aede Apollinis, nec causa eadem est nec simile tempus, praesertim cum Marcellum scribas aliosque decedere. Fam. IV, 14, 1: Binas a te accepi litteras Corcyrae datas; quarum alteris mihi gratulabare, quod audisses me meam pristinam dignitatem obtinere (cf. 3: Quod autem mihi de eo, quod egerim, gratularis, te ita velle certo scio), alteris dicebas te velle, quae egissem, bene et feliciter evenire. Fam X, 26, 1, 2: Lectis tuis litteris, quibus declarabas aut omittendos Narbonensis aut cum periculo dimicandum, illud magis timui, hoc vitatum non moleste fero.

---

107. Cf. Marcelli ep. Fam. IV, 11, 1. Asinii Pollionis ep. Fam. X, 31, 4.
108. Cf. Asinii Pollionis ep. Fam. X, 32, 4. Bruti et Cassii ep. Fam. XI, 1, 2.

Quod de Planci et Bruti concordia scribis, in eo vel maximam spem pono victoriae. De Gallorum studio nos aliquando cognoscemus, ut scribis, cuius id opera maxime excitatum sit (cf. sqq.) Att. I, 20, 1. 2. V, 3, 2. IX, 5. 1. XI, 7, 1. 17, 1. 2. XII, 26, 2. 42, 1. 47, 1. XIII, 35 et 36, 2. Fam. II, 17, 6. III, 7, 3.

Fam. XIII, 24, 1, 2: Ita enim scripsit ad me sibi meam commendationem maximo adiumento fuisse, quod ad te delatum diceret sese contra dignitatem tuam Romae de te loqui solitum esse; de quo etsi pro tua facilitate et humanitate purgatum se tibi scribit esse, tamen primum, ut debeo, tibi maximas gratias ago, cum tantum litterae meae potuerunt, ut iis lectis omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres. Att. XIII, 2, 3: Dionysius noster graviter queritur, et tamen iure, a discipulis abesse se tam diu; multis verbis scripsit ad me, credo item ad te. Att. XII, 21, 1. 32, 1. XV, 1 a, 5. 13, 5. 21, 5.

§ 86. Eundem fere usum quem scribendi verba alteris et tertiis personis expressa mittendi verba sequuntur.

I. Quorum Perfectum his legitur in locis (cf. § 82):

Att. XIII, 21, 1: Ad Hirtium dederam epistulam sane grandem, quam scripseram proxime in Tusculano. Huic, quam tu mihi misisti, rescribam alias. Fam. III, 9, 1: Nam quas ex itinere, ante quam ex Asia egressus es, ad me litteras misisti . . . legi perinvitus . . . Iis vero litteris lectis, quas Philotimo liberto tuo dedisti, cognovi intellexique in provincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent. Att. II, 8, 1: Nunc, si quid in ea epistula, quam ante diem XVI. Kal. Maias dedisti, fuit historia dignum, scribe quam primum, ne ignoremus. Att. II, 4, 1 XII, 37, 4. XIV, 16, 3. Fam. III, 3, 2. 4, 1. 11, 4. V, 7, 1. 2. VII, 32, 1. X, 13, 2. XI, 14, 3. 27, 1. XIII, 42, 2. Q. F. I, 2, 2, 6. 2, 3, 10. [Brut. II, 4, 3].[109]

Att. XII, 37, 1: Quod mihi Bruti litteras, gratum. Ad me quoque misit. Att. VIII, 11, 6: Epistularum Pompeii duarum, quas ad me misit, neglegentiam meamque in rescribendo diligentiam volui tibi notam esse. Fam. XIII, 19, 1: Quod intelleges ex iis litteris, quas Caesar ad te dedit. Att. VI, 1, 2. 14. 21. VII, 1, 7. XI, 9, 2. XII, 11. 37, 4. 40, 1. 44. 1. XIII, 47, 2. XIV, 10, 4. 17, 3. XV, 5, 3. XVI, 8, 1. Fam. II, 17, 6. 7. III, 10, 10. XI, 12, 1. XIII, 19, 1. Q. F. III, 1, 7, 25.[110] — Negatione adiecta Fam. XVI, 4, 2: Lyso enim noster vereor ne neglegentior sit: primum quia omnes Graeci; deinde quod, cum a me litteras accepisset, mihi nullas remisit. Fam. II, 17, 6. — Passivum legitur Q. F. I, 2, 1, 2: Quod autem idcirco a te missus est, mihi ut se purgaret, id necesse minime fuit.

Cf. adferendi et reddendi verba his in locis: Att. XI, 4, 2: De pensione altera, oro te, omni cura considera, quid faciendum sit, ut scripsi iis litteris, quas Pollex tulit. Att. XI, 17, 1: Tullia mea venit ad me pr. Idus Iunias deque tua erga se observantia benevolentiaque mihi plurima exposuit litterasque reddidit trinas. Att. V, 21, 4. IX, 5, 1. XIV, 17, 1. Fam. III, 7, 2. 3.

---

109. Cf. Bruti ep. [Brut. I, 16, 1].
110. Cf. Pompei ep. Att. VIII, 12 C, 1. Planci ep. Fam. X, 17, 3.

§ 87. II. Imperfectum aptum ex coniunctione cum nobis obviam fit his in locis (cf. § 83): Fam. III, 7, 3: Quid? Cum dabas iis litteras, per quas mecum agebas, ne eos impedirem, quo minus ante hiemem aedificarent, non eos ad me venturos arbitrabare? [Brut. I, 14, 1: Sed videlicet, cum illam pusillam epistulam tuam ad me dabas, nondum erat tibi id notum].

Cf. adferendi verbum in enuntiatione minore exstans Fam. III, 7, 3: Quas enim litteras adferebant, ut opus aestate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt.

§ 88. III. Mittendi verba Praesentis alteris aut tertiis personis expressa hunc usum non sequuntur apud Ciceronem.[111] Quae apud eum semper eam significationem habere videntur, qua pertinent ad mittendas vel res vel personas in universum (cf. § 43) aut ad ea, quae alicuius sunt propria in epistularum consuetudine atque officio (cf. § 44), aut ad ea, quae continuari cogitantur, cum aut fiunt aut non fiunt (cf. §§ 45. 46), aut ad ea, quae vel fieri solent vel repetuntur (cf. § 47).

Sed duobus in locis adferendi verba Praesentibus expressa invenimus de re subito aliquem opprimente usurpata Att. IX, 12, 1: Legeram tuas litteras XIII. K., cum mihi epistula adfertur a Lepta, circumvallatum esse Pompeium, ratibus etiam exitus portus teneri. Att. VI, 1, 6: Atque hoc tempore ipso impingit mihi epistulam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse.

§ 89. Nonnunquam et mittendi verba Perfecti personis aut alteris aut tertiis et scribendi verba aut Perfecti aut Imperfecti aut Praesentis personis aut alteris aut tertiis expressa in eadem leguntur epistula. Plerumque tum quidem Praeterita ad totam epistulam, Praesentia ad res singulas in ea scriptas pertinent (cf. § 85). Fam. XI, 14, 3: Scripsisti autem ad me iis, quas Idibus Maiis dedisti, modo te accepisse a Planco litteras non recipi Antonium a Lepido. Fam. XII, 37, 4: Hirtius ad me scripsit Sex. Pompeium Corduba exisse et fugisse in Hispaniam citeriorem, Gnaeum fugisse nescio quo . . . Litteras Narbone dedit XIV. Kal. Maias. Tu mihi Caninii naufragio quasi dubia misisti: scribes igitur, si quid erit certius. Quod me a maestitia avocas, multum levaris, si locum fano dederis. Q. F. III, 1, 7, 25: Ex Britannia Caesar ad me Kal. Septembr. dedit litteras, quas ego accepi a. d. IV. Kal. Octobr., satis commodas de Britannicis rebus, quibus, ne admirer, quod a te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse, cum ad mare accesserit. Att. VI, 1, 2: Sin Appius, ut Bruti litterae, quas ad te misit, significabant, gratias nobis agit, non moleste fero. Att. VII, 1, 7: Cato autem et scribendo adfuit et ad me de sententia sua iucundissimas litteras misit; sed tamen gratulans mihi Caesar de supplicatione triumphat de sententia Catonis nec scribit, quid ille sententiae dixerit. Att. XII, 40, 1. XIII, 47 b, 1. Fam. II, 17, 6. 7.[112]

Cf. reddendi verbum et scribendi verba Att IX, 5, 1: Natali die tuo scripsisti epistulam ad me plenam consilii summaeque cum benevolentiae tum etiam prudentiae:

---

111. Cf. Planci ep. Fam. X, 21, 3.
112. Cf. Pompei ep. Att. VIII, 12 C, 1.

eam mihi Philotimus pridie, quam a te acceperat, reddidit. Sunt ista quidem, quae disputas, difficillima.

§ 90. In explicanda ratione praeteriti temporis in epistulis significandi quoniam ea, quae de Perfecto et Imperfecto verborum locutionumque scribendi et mittendi actionem indicantium in universum disseruimus (cf. §§ 63—66), exemplis confirmasse Praesentisque usum huc pertinentem respexisse satis nobis videmur, de ceterorum verborum locutionumque usu ad tempus praeteritum pertinente pauca ex eis, quae usque ad hunc locum tractavimus, petita videntur esse afferenda. Etenim si illa verba locutionesque, cum de scribendi tempore usurpata epistularem rationem sequi consueverint, ad tempus praeteritum pertinentia plerumque communis sermonis usum retinent, multo magis consentaneum est haec, cum in exprimendo scribendi tempore rarius epistularem rationem sequantur, in significando tempore praeterito et ipsa plerumque communis sermonis usum retinere. Quem usum in omnibus fere epistularum paginis exstantem, ne „noctuas Athenas", illustrandum exemplis non arbitramur, praesertim cum infra, quibus condicionibus, paucis illis quidem, haec verba locutionesque epistularem rationem secuta sint Plusquamperfecto expressa, nobis sit demonstrandum (cf §§ 99—101).

§ 91. Sed iterum, priusquam hunc Plusquamperfecti usum epistularem finibus suis neque eis late patentibus circumscriptum tractamus, ratio nobis habenda est eorum, quae grammatici nostri constituerunt, Plusquamperfecto a stilo epistulari eum tributum esse usum, quo pertineat ad significandum tempus ei, qui scribit litteras, praeteritum eodem modo quo ad significandum tempus eidem illi praesens aut Perfectum aut Imperfectum (cf. § 62). Eam legem quamquam iam eis, quae de Perfecti et Imperfecti et Praesentis usu supra attulimus, infirmare conati sumus, non solum infirmare magis, sed etiam emendare atque corrigere tractando universo Plusquamperfecti usu exstante in epistulis conabimur. Quam ad rem nobis necesse putamus omnes locos, in quibus leguntur Plusquamperfecta, colligere et recensere atque in unoquoque loco diiudicare, utrum ex Temporum doctrina grammatica a cetero sermone praescripta Plusquamperfecti usus an ex epistulari consuetudine sit trahendus. Quae res difficultates habet satis magnas cum propterea, quod de universo Plusquamperfecti usu satis amplum spatium in consuetudine sermonis Latini tenente a viris rerum grammaticarum peritis adhuc parce ac tenuiter disputatum est,[113] tum propterea, quod in epistulis res non paucae nobis fiunt obviae, in quas in sermone ab epistulis alieno non facile quis inciderit.

§ 92. Atque ex communis sermonis consuetudine, qua ea, quae aliam praeteriti temporis vel actionem vel condicionem antecesserunt, Plusquamperfecto exprimi solent, saepissime Plusquamperfecta in epistulis ut in cetero sermone usum trahunt. Consueverunt autem Latini ut in cetero Temporum usu item hic accuratius temporis discrimina observare, quam non solemus.[114]

---

113. Cf. Haas. ad Reisig. Scholl. an. 456, p. 506.
114. Cf. Schulz. Gr. Lat. § 90, 8. Zumpt. Gr. Lat. § 505, 11. Kuehner. Gr. Lat. II, § 35, 4. Kritz. ad Sall. Cat. XVIII, 3. Suepfl. prakt. Anl. I, § 187.

I. Satis saepe ad expressam vel Praeteritis vel Praesentibus historicis vel actionem vel condicionem (cf. §§ 93—95) Plusquamperfecta referenda sunt. Sed nonnunquam Praeterita illa aut Praesentia eius, qui scribebat, animo iam aliquanto ante, quam ea scriberet, videntur fuisse obversata.

In usurpandis scribendi et mittendi verbis et locutionibus hic usus obtinet Att. XI, 23, 1: Quod ad te scripseram, ut cum Camillo communicares, de eo Camillus mihi scripsit te secum locutum. Att. VIII, 6, 1: Obsignata iam epistula, quam de nocte daturus eram, sicut dedi — nam eam vesperi scripseram — C. Sosius praetor in Formianum venit ad M'. Lepidum. Att. IX, 7, 1: Scripseram ad te epistulam, quam darem IV. Idus, sed eo die is, cui dare volueram, non est profectus. Att. I, 16, 5. II, 16, 4. III, 8, 1. 13, 1. V, 20, 10. VI, 1, 4. VII, 1, 1. 8. 14, 2. 19. VIII, 5, 1. 6, 3. IX, 9, 3. XII, 23, 3. XIII, 6, 3. 21, 1. 32, 3. 50, 4. XIV, 18, 1. 19. 1. 20, 3. XV, 26, 1. 27, 1. XVI, 11, 6. Fam. I, 9, 17. IV, 9, 1. VII, 9, 1. 10, 3. IX, 16, 1. XIII, 63, 2. XIV, 15. Q. F. I, 2, 4, 12. II, 5, 1. [Brut. I, 14, 1].[115] Att I, 8, 2: L. Cincio HS . . . pro signis Megaricis, ut tu ad me scripseras, curavi. Att. V, 4, 1: Ibi accepi eas litteras, quas tu superioribus litteris significaveras te dedisse, ad quas ego ipso eo die dederam ex Trebulano a Pontio. Att. II, 16, 1. III, 13, 1. 18, 1. V, 21, 4. VI, 1, 5. 10. 6, 3. VII, 2, 5. 8, 2. X, 16, 1. 17, 1. 4. XI, 13, 2. 24, 3. XII, 21, 1. XIII, 13, 1. 19, 2. XIV, 19, 1. Fam. II, 9, 1. V, 6, 1. 2. VII, 18, 4. IX, 16, 1. X, 22, 2. XI, 10, 2. Q. F. I, 1, 1, 2. 3, 7. II, 5, 1. III, 1, 6, 21. Att XV, 19, 1: Scripserat enim ad me. Cui rescripsi, ut potui. Mihi autem scribit venire ad me se velle. Att. XII, 28, 1: De Silio nilo plura cognovi ex praesente Sicca quam ex litteris eius. Scripserat enim diligenter. Att. III, 12, 2. 22. V, 5. 3. VI, 1, 3. IX, 14, 2. X, 11, 5. 12, 1. XV, 27, 1. Fam. VI, 18, 2. Q. F. III, 1, 5, 18.[116] Att. I, 19, 11: Cossinius hic, cui dedi litteras, valde mihi bonus homo et non levis et amans tui visus est et talis, qualem esse eum tuae mihi litterae nuntiarant. Fam. III, 10, 5: Cuius sermo stultus et puerilis erat iam ante ad me a M. Caelio, familiari nostro, perscriptus; de quo item sermone multa scripta sunt abs te. Att XII, 18 a, 1: Heri, eum ex aliorum litteris cognovissem de Antonii adventu, admiratus sum nihil esse in tuis. Sed erant pridie fortasse scriptae quam datae. Att. IV, 6, 2. V, 3, 2. VII, 3, 1. Q. F. II, 5, 1. — Att XI, 12, 1: Cephalio mihi a te litteras dedit a. d. VIII. Idus Mart vespere. Eo autem die mane tabellarios miseram, quibus ad te dederam litteras. Att. XIII, 30, 1: In Cumanum hodie misi tabellarium. Ei dedi tuas ad Vestorium, quas Pharnaci dederas. Commodum ad te miseram Demean, cum Eros ad me venit. Att. II, 1, 2. 13, 1. V, 3, 1. 2. 4, 1. VI, 6, 1. VII, 8, 2. VIII, 4, 1. 6, 3. IX, 14, 1. 15, 6. X, 11, 1. 16, 1. XII, 1, 2. 20, 1. XIII, 19, 1. 21, 1. XIV, 18, 1. 19, 1. 21, 1. XV, 1 b, 1. 24. 28. XVI, 2, 1. Fam. VI, 20, 1. IX, 18, 1. XIII,

115. Cf. Bruti verba Att. XIII, 38, 1. Caelii ep. Fam. VIII, 9, 2.

116. Cf. Pompei ep. Att. VIII, 12 B, 1. Planci ep. Fam. X, 21, 2. C. Asinii Pollionis ep. Fam. X, 31, 4. Q. Ciceronis ep. Fam. XVI, 27, 1.

41, 2. XVI, 3, 1. Q. F. II, 1, 1. 5, 1. III, 8, 3. [Brut. II, 4, 1]. Att. I, 20, 1: Cincius noster eam mihi abs te epistulam reddidit, quam tu Idibus Febr. dederas. Att. II, 1, 11: Nam mihi Pomponia nuntiari iussit te mense Quintili Romae fore. Id a tuis litteris, quas ad me de censu tuo miseras, discrepabat. Att. IX, 10, 4. XIV, 17, 1. XVI, 11, 1. Fam. I, 7, 3. VI, 22, 1. VII, 18, 1. X, 12, 2. XI, 12, 1. XV, 15, 4. Q. F. III, 1, 4, 12. Att. V, 21, 3: C. Cassius, frater Q. Cassii, familiaris tui, prudentiores illas litteras miserat .... quam eas, quas postea misit. Fam. III, 11, 1: Cum essem in castris ad fluvium Pyramum, redditae mihi sunt uno tempore a te epistulae duae, quas ad me Q. Servilius Tarso miserat. Att. VI, 1, 2 XII, 44, 3. Q. F. III, 1, 3, 8. Att. IX, 9, 1: Tris epistulas tuas accepi postridie Idus. Erant autem IV., III., pridie Idus datae. Att. V, 3, 2. XII, 18a, 1. XIII, 45, 1. XIV, 13, 1.

Aliorum verborum exempla plurima huc pertinentia, cum in ipsis quoque usurpandis idem atque in communi sermone usus obtineat, ad id, quod agimus, nihil interest afferre de causa, ubi res similis ferebat, supra allata (§ 90).

§ 93. II. Sequantur exempla, in quibus ei, qui rem non satis pertractaverit, sed ad pauca exempla animum adverterit, facillime Plusquamperfecta, cum praeteriti temporis neque actio neque condicio, ad quam referantur, sit expressa, eam vim habere videantur, qua pertineant ad tempus praeteritum in epistulis simpliciter nudeque significandum. Sed in eis nos quidem statuere possumus relativum membrum ad tempus praeteritum spectans esse omissum, quod eius, qui scribebat litteras, menti in sententia enuntianda obversatum fuisse videatur.[117]

1. Atque in eis locis, in quibus scribendi verba Plusquamperfecto expressa ad res in eadem epistula antea commemoratas pertinent aliis rebus interpositis, supplendum videtur membrum, quo intellegatur has alias res paullo ante esse scriptas (cf. Fam. I, 9, 17: Ego autem cum illa sequor, quae paulo ante proposui (cf. 17), tum hoc non in postremis, de quo coeperam exponere (cf. 12) Fam XIII, 63, 2: Sed vereor, ne iam superesse mihi verba putes, quae dixeram defutura (cf. 1): commendo tibi hominem sic, ut intellegis me, de quo ea supra scripserim (cf. 1), debere commendare. Fam. XI, 27, 6. Cf. §§ 71. 95).[118] Fam. XV, 14, 6: Extremum illud est de iis, quae proposueram (cf. 2), confirmatio nostrae amicitiae, de qua pluribus verbis nihil opus est. Fam. II, 3, 2: Sed aliter, atque ostenderam (cf. 1), facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiae meae; qua re omnem hanc disputationem in adventum tuum differo. Fam. XIII, 16, 4: Et tamen, quod negaveram (cf. 3), commendo tibi eum. Fam. XV, 4, 14: Huic meae voluntati, in qua inest aliqua vis desiderii ad sanandum volnus iniuriae, ut faveas adiutorque sis, quod paulo ante me negaram (cf. 11) rogaturum, vehementer te rogo. Att. IV, 13, 6: Redeo igitur ad id, ut iam tibi etiam pollicear aliquid, quod primo omiseram (cf. 1). Fam. IV, 8, 2: Sed

---

117. Cf. Luebbert. Quom § 12, p. 168. Kritz. ad Sallust. Cat. XXIV, 1. Kuehner. Gr. Lat. II, § 35, 2. Haas. ad Reisig. Scholl. an. 456. Holtz. synt. prisc. scr. L. II, p. 81. Suepfl. prakt. Anl. I, § 187.
118. Cf. Kuehner. Gr. Lat. II, § 35, 2.

plura, quam statueram (cf. 1): redeo ergo ad unum illud, me tuum esse, fore cum tuis. Q. F. II, 8, 2: Sed plura, quam constitueram (cf. 1): coram enim.

§ 94. 2. Satis saepe suppleri potest membrum, quo significetur eum, ad quem scribitur, aut scripsisse de aliqua vel re vel persona aut non scripsisse aut interrogavisse, quae aut non intellexisset aut scire vellet, aut monuisse aut suasisse, ut quid fieret, aut misisse vel epistulam vel nuntium (cf. Att. XII, 23, 3: De Drusi hortis, quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram et, ut opinor, heri ad te scripseram. Fam. VII, 9, 1: Iam diu ignoro, quid agas; nihil enim scribis, neque ego ad te his duobus mensibus scripseram. Att. XIII, 50, 4: Quaeris, quid cogitem de obviamitione; quid censes nisi Alsium? Et quidem ad Murenam de hospitio scripseram. Att. XIII, 32, 3: Et, quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti, credo, quia διὰ σημείων scripseram. Att. XIV, 19, 1: Quam mihi iucundum opportune tibi Barnaeum litteras reddidisse . . . quam commode autem, quod id ipsum, quod me mones, quadriduo ante ad eum scripseram exemplumque mearum litterarum ad te miseram! Att. XIV, 14, 6: Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem, etsi tibi dederam superiore epistula cogitandum. Att. XV, 27, 1: Gaudeo id te mihi suadere, quod ego mea sponte feceram; nam cum ad te VI. Nonas darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sestium. Att. XIII, 21, 1: Ad Hirtium dederam epistulam sane grandem, quam scripseram proxime in Tusculano. Huic, quam tu mihi misisti, rescribam alias. Nunc alia malo. Att. XII, 1, 2. — Fam. VII, 23, 4: Quod ad me de domo scribis iterum, iam id ego proficiscens mandaram meae Tulliae; ea enim ipsa hora acceperam tuas litteras; egeram etiam cum tuo Nicia. Att. IX, 8, 1: De Reatinorum corona quod scribis, moleste fero in agro Sabino sementem fieri proscriptionis. Senatores multos esse Romae nos quoque audieramus. Att. XII, 45, 3: Tu vero pervolga Hirtium: id enim ipsum putaram, quod scribis. Att. XIII, 25, 1: De Andromene, ut scribis, ita putaram. Att. XII, 23, 1: Putaram te aliquid novi, quod eius modi fuerat initium litterarum . . . sed videlicet meis litteris respondisti, ut de foro et de curia. Att. XVI, 14, 4: Male narras de Nepotis filio . . . Nescieram omnino esse istum puerum. Att. VII, 8, 1. XII, 13, 2 28, 3. XIII, 37, 1. XV, 21, 2. Fam. II, 13, 1. Q. F. II, 14, 1.[119] Cf §§ 82. 84).

In usurpandis scribendi et mittendi verbis locutionibusque hic usus obtinet Att. XII, 45, 3: De Caesare vicino scripseram ad te, quia cognoram ex tuis litteris. Eum σύνναον Quirini malo quam Salutis.[120] Att IV, 2, 3: Quod autem ad te scripseram (cf. 1, 2), obscure fortasse, id eius modi est. Cf. Att. VII, 16, 3. XII, 7, 2. Att. XV, 25: Est enim hiberna navigatio odiosa, eoque ex te quaesieram mysteriorum diem. Fam. IX, 4: De Coctio mihi gratum est; nam id etiam Attico mandaram. Q. F. III, 9, 3: De motu temporum venientis anni, nihil te intellegere volueram domestici timoris, sed de communi rei publicae statu, in quo etiam si nihil procuro, tamen nihil curare vix possum. Q. F. II, 12, 4: De Caesare fugerat me ad te scribere. Video enim, quas tu litteras exspectaris. Att. V, 12, 3: Cui rei fugerat

---

119. Cf. Caesaris ep. Att. IX, 7 C, 1. Q. Cic. ep. Fam. XVI, 27, 1.
120. Cf. Boot. an. ad h. l.

me rescribere, de strue laterum, plane rogo. Att. XIII, 22, 2: De Marcello scripserat ad me Cassius antea, τὰ κατὰ μέρος Servius. O rem acerbam! Fam. III, 41, 2: De re publica deque his negotiis cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligenter paucis ante diebus easque litteras dederam pueris tuis. Att. XII, 20, 1: De Terentia autem scripsi ad te iis litteris, quas dederam pridie. Att. XV, 12, 1: Bene mehercule de Buthroto. At ego Tironem ad Dolabellam cum litteris, quia iusseras, miseram.

Alia verba hunc usum sequuntur his in locis: Att. XVI, 1, 5: Pindaro de Cumano negaram. Att. VII, 8, 2: Diem tuum ego quoque ex epistula quadam tua, quam incipiente febricula scripseras, mihi notaveram, et animadverteram posse pro re nata te non incommode ad me in Albanum venire III. Nonas Ianuar. Att. I, 13, 5: Τοποθεσίαν, quam postulas, Miseni et Puteolorum, includam orationi meae. A. d. III. Non. Decembr. mendose fuisse animadverteram.[121] Att. XIII, 6, 4: Tuditanum istum, proavum Hortensii, plane non noram et filium, qui tum non potuerat esse legatus, fuisse putaram. Att. XVI, 2, 5: De Tutia, ita putaram. Att. XV, 21, 2: Ἐποχὴν vestram de re Cani [deliberationis] probo: nihil eram suspicatus de tabulis. Att. XII, 42, 3: Venerat mihi in mentem monere te, ut id ipsum, quod facis, faceres. Q. F. III, 1, 5, 17: Oppium miror quicquam cum Publio; mihi enim non placuerat.

§ 95. 3. Persaepe membrum supplendum videtur, quo significetur aut alicuius vel animum vel consilium vel iudicium esse mutatum aut alicuius rei commutationem esse factam (Cf. Att. VII, 23, 2: Ego tamen Philotimi litteris lectis mutavi consilium de mulieribus, quas, ut scripseram ad te, Romam remittebam. Att. III, 13, 1: Quod ad te scripseram me in Epiro futurum, postea quam extenuari spem nostram et evanescere vidi, mutavi consilium nec me Thessalonica commovi, ubi esse statueram, quoad aliquid ad me de eo scriberes, quod proximis litteris scripseras. Fam. XIV, 15: Constitueramus, ut ad te antea scripseram, obviam Ciceronem Caesari mittere, sed mutavimus consilium, quia de illius adventu nihil audiebamus. Fam. III, 6, 2: Respondi Clodio me ita esse facturum ac multo quidem libentius, quam si illud esset faciendum, quod promiseram Phaniae; itaque et consilium mutavi et ad te statim mea manu scriptas litteras misi. Att. XVI, 10, 1: Itaque mutavi consilium; statueram enim recta Appia Romam. Fam. IV, 4, 4: Ego rogatus mutavi meum consilium; nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi et senatus officium. Fam. V, 4, 1: Litterae Quinti fratris et T. Pomponii, necessarii mei, tantum spei dederant, ut in te non minus auxilii quam in tuo collega mihi constitutum fuerit . . . Postea mihi non tam meorum litterae quam sermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant. Att. X, 11, 1: Obsignata iam epistula superiore non placuit ei dari, cui constitueram, quod erat alienus; itaque eo die data non est. Att. VI, 6, 3: Tamen, dum impendere Parthi

---

121. Cf. Boot. an. ad h. l.

videbantur, statueram fratrem relinquere aut etiam rei publicae causa contra senatus consultum ipse remanere; qui posteaquam incredibili celeritate dicesserunt, sublata dubitatio est. Fam. I, 8, 3: Quae enim proposita fuerant nobis ... ea sublata tota sunt ... Commutata tota ratio est senatus, iudiciorum, rei totius publicae Att. II, 9, 1: Festive, mihi crede, et minore sonitu, quam putaram, orbis hic in re publica est conversus. Att. II, 21, 5: Putarat Caesar oratione sua posse impelli contionem, ut iret ad Bibulum; multa cum seditiosissime diceret, vocem exprimere non potuit. Att. VII, 3, 8: Et id, quod animum induxerat paulisper, non tenuit. Att. III, 18, 1: Exspectationem nobis non parvam attuleras, cum scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse causam nostram Pompeium certe susceptum ... Utrum id nihil fuit, an adversatae sunt Caesaris litterae? An est aliquid in spe? Etiam illud scripseras eundem „secundum comitia" dixisse. Att. III, 6: Non fuerat mihi dubium, quin te Tarenti aut Brundisii visurus essem ... Quoniam id non contigit, erit hoc quoque in magno numero nostrorum malorum. Fam. VII, 5, 1. 2. IX, 20, 1. X, 22, 2).[122] Referendi huc quoque nonnulli sunt loci iam ante (§ 93) allati, quibus hoc loco hos adicimus:

Att. II, 6, 1: Quod tibi superioribus litteris promiseram, fore ut opus exstaret huius peregrinationis, nihil iam magno opere confirmo. Att. VII, 16, 3: De Terentia et Tullia tibi adsentior; ad quas scripseram, ad te ut referrent; si nondum profectae sunt, nihil est, quod se moveant, quoad perspiciamus, quo loci sit res. Att. II, 20, 5: Quod scripseram ut Furio scripturum (cf. 19, 5), nihil necesse est tuum nomen mutare. Me faciam Laelium et te Atticum. Att. XIV, 14, 6: Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem, etsi tibi dederam superiore epistula cogitandum (cf. 13, 4). Att XIII, 20, 4: De fama nihil sane laboro, etsi scripseram ad te tunc stulte „nihil melius". Att. XI, 10, 2: De Africanis rebus longe alia nobis, ac tu scripseras, nuntiantur. Nihil enim firmius dicunt, nihil paratius. Att. XI, 23, 1: Modo valeres! Scripseras enim te quodam valetudinis genere temptari. Att. II, 7, 5: Castricianum mendum nos corrigemus, et tamen ad me Quintus CCIƆƆ IƆƆ scripserat, nunc ad sororem tuam HS. XXX. Att. I, 11, 2: Quod in epistula tua scriptum erat, me iam arbitrari designatum esse, scito nihil tam exercitum esse nunc Romae quam candidatos omnibus iniquitatibus nec, quando futura sint comitia, sciri. Att. VIII, 5, 1: Conieceram in fasciculum una cum tua vehementem ad illum epistulam: hanc ad me referri volo. Att. XII, 14, 1: De me excusando apud Appuleium dederam ad te pridie litteras. Nihil esse negotii arbitror. Att. XI, 18, 1: Itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem et te rogo, ut me hinc expedias.[123]

Att. II, 6, 1: A scribendo prorsus abhorret animus. Etenim γεωγραφικά, quae constitueram, magnum opus est: ita valde Eratosthenes, quem mihi proposueram, a Serapione et ab Hipparcho reprehenditur. Att. IX, 15, 4: Ita subito accurrit, ut ne T.

---

122. Cf. Pompeii ep. Att. VIII, 12 B, 1. Caelii epp. Fam. VIII, 9, 2. 11, 2. Planci ep. Fam. X, 21, 2—5.

123. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 3, 1.

Rebilum quidem, ut constitueram, possim videre. Att. XVI, 11, 6: Ob hoc ego citius Romam, quam constitueram Simul et constituero, scribam. Att. XIV, 13, 4: Proficiscor, ut constitueram, legatus in Graeciam? Att. II, 19, 3: Equidem malueram, quod erat susceptum ab illis, silentio transiri; sed vereor, ne non liceat. Att. XIII, 44, 1: Brutus apud me fuit, cui quidem valde placebat me aliquid ad Caesarem. Adnueram; sed pompa deterret. Att. XIII, 21, 3: Nunc, ad rem ut redeam, „inhibere" illud tuum, quod valde mihi adriserat, vehementer displicet. Q. F. III, 1, 4, 14: Quod supra conclavia non placuerat tibi esse multorum fastigiorum, id nunc honeste vergit in tectum inferioris porticus. Att. II, 7, 4: Quidnam id est? Si est enim aliquid, plus est boni, quam putaram. Att. IV, 4 b, 1: Offendes designationem Tyrannionis mirificam in librorum meorum bibliotheca, quorum reliquiae multo meliores sunt, quam putaram. Att. XIV, 15, 3: Incipit res melius ire, quam putaram. Fam. VII, 25, 1: Sed heus tu, manum de tabula; magister adest citius, quam putaramus. Att. II, 19, 2. VI, 1, 2. VII, 3, 5. XIII, 5, 1. Fam. II, 13, 3.[124] Att. I, 14, 6: Habes res Romanas. Sed tamen illud, quod non speraram, audi. Att. IX, 10, 7: Si tum dubitaras, nunc certe non dubitas, istis manentibus. Att. II, 4, 1: Si in eo, quod ostenderat, non stat, mihi maxime placet ea, quae male empta sunt, reddi. Att. XII, 13, 2: Cocceium velim appelles. Quod enim dixerat, non facit. Att. XIV, 9, 3: Omnia plena pacis, aliter, ac mihi Calvena dixerat. Fam. XII, 29, 2: Nec dubito, quin sine mea commendatione . . . ipsius Lamiae causa studiose omnia facturus sis: quamquam erat nobis dictum te existimare alicui senatus consulto, quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam adfuisse, qui omnino consulibus illis numquam fuit ad scribendum Fam. IX, 6, 6: Iure enim, si quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires; ego tibi ea narro, quae tu melius scis quam ipse, qui narro. Att. XIII, 44, 3: Libonem mecum habeo, et habueram ante Cascam. Fam. IX, 18, 3: Ipse melior fio, primum valetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram. Q. F. I, 2, 5, 16: Si qui antea aut alieniores fuerant aut languidiores, nunc horum regum odio se cum bonis coniungunt.[125]

§ 96. Nonnunquam idem Plusquamperfecti usus obtinet, ubi supplere possumus non esse mutatum alicuius vel animum vel consilium vel iudicium aut non esse factam alicuius rei commutationem. Att. XII, 7, 2: De Balbo, et in codicillis scripseram et ita cogito, simul ac redierit. Att. XIII, 22, 3: Ego et librarios tuos culpa libero neque te accuso, et tamen aliud quiddam ad te scripseram, Caerelliam quaedam habere, quae nisi a te habere non potuerit. Att. XV, 28: Ego, ut ad te pridie scripseram (cf. 26, 3), Nonis constitueram venire in Puteolanum. Ibi igitur cotidie tuas litteras exspectabo, et maxime de ludis. Fam. V, 19, 1: Exstatque id, quod mihi ostenderas quibusdam litteris, hoc te studiosiorem in me colendo fore, quam in provincia fuisses . . . quo liberius iudicium esse posset tuum. Q. F. III, 5 et 6, 2: Ego autem id ipsum tum eram secutus, ne in nostra tempora incurrens offenderem quempiam. Nunc et id vitabo et loquar ipse tecum, et tamen illa, quae institueram, ad te, si Romam venero, mittam. Fam. II, 13, 1: Etsi

---

124. Cf. Gossrau. Gr. Lat. § 459, 1, an. 1.
125. Cf. Metelli ep. Fam. V, 1, 1. Caelii ep. Fam. VIII, 6, 1.

omnia sic constitueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamen confirmantur nostra consilia, cum sentimus prudentibus fideliterque suadentibus idem videri. Att. XIV, 13, 4: Proficiscor, ut constitueram, legatus in Graeciam? Att. VII, 18, 1: Responsa Pompeii grata populo et probata contioni esse dicuntur: ita putaram. Att. V, 8, 3: Philotimus, ut ego ei coram dixeram mihique ille receperat, ne sit invito Milone in bonis. Nihil nobis fuerat tanti. Att. VII, 3, 8: Idem et initio fuerat et nunc est egregius. Fam. III, 6, 5: In quo, tuo consilio ut me sperarem esse usurum, et amicitia nostra et litterae tuae fecerant, quod ne nunc quidem despero.[126]

§ 97. III. Neque a sermonis communis consuetudine abhorrent exempla ea, in quibus Plusquamperfecta verborum actionem aliquam, non statum designantium sensum accepisse videntur talem, quo actionem praeteriti temporis ita absolutam esse significent, ut ex actione status sit effectus Plusquamperfectumque Imperfecti significationem sibi sumpsisse videatur.[127]

Quod clarissime ante oculos ponitur nonnullis Passivi et Deponentium Plusquamperfectis, quorum ipsa hortatur forma, ut ea hoc modo interpretemur, cum sint composita ex verbi substantivi Imperfecto et participio idem fere atque adiectivum valente (cf. § 83).

Fam. III, 11, 1: Cum essem in castris ad fluvium Pyramum, redditae mihi sunt uno tempore a te epistulae duae, quas ad me Q. Servilius Tarso miserat: earum in altera dies erat adscripta Nonarum Aprilium; in altera, quae mihi recentior videbatur, dies non erat. Att. XI, 7, 2: Nam ad me misit Antonius exemplum Caesaris ad se litterarum, in quibus erat se audisse Catonem et L. Metellum in Italiam venisse . . . deque eo vehementius erat scriptum. Att. XIII, 45, 1: Fuit apud me Lamia post discessum tuum epistulamque ad me attulit missam sibi a Caesare, quae quamquam ante data erat quam illae Diocharinae, tamen plane declarabat illum ante ludos Romanos esse venturum; in qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet neve committeret, ut frustra ipse properasset. Att. V, 3, 2: Nullas enim adhuc acceperam praeter quae mihi binae simul in Trebulano redditae sunt, quarum alterae edictum P. Licinii habebant — erant autem Nonis Maiis datae — alterae rescriptae ad meas Minturnensis. Fam. III, 4, 1: Pridie Nonas Iunias, cum essem Brundisii, litteras tuas accepi, quibus erat scriptum te L. Clodio mandasse, quae illum mecum loqui velles. Fam. IX, 25, 3: Is cum ad me Laodiceam venisset mecumque ego eum esse vellem, repente percussus est atrocissimis litteris, in quibus scriptum erat fundum Herculanensem a Q. Fadio fratre proscriptum esse. Att. VIII, 11 D, 3. XV, 5, 3. Fam. VII, 5, 2. Q. F. II, 5, 1.[128]

---

126. Cf. Caecinae ep. Fam. VI, 7, 4.

127. Cf. Ramshorn. Gramm. Lat. II, pp. 559. 601. Haas. ad Reisig. Scholl. an. 456, p. 506. Eman. Hoffmann, die Construction der lateinischen Zeitpartikeln, Vindob. 1860, p. 10 sq. Luebbert., Quom temp. § 8, p. 20. § 10, p. 154. § 12, p. 167. Madvig. Gramm. Lat.[3] § 338, an. 6. Eiusd. opuscc. acad. alter. p. 218 sqq. Neue, Formenl. II, p. 370 sqq. Herm. Schmidt. doctrin. tempor. verbi Graeci et Latini expos. hist. partic. II. 1836, p. 23 sqq. Draeger. Synt. hist. I, p. 252 sq. Krueger. Gramm. Lat. § 444, an. 2. Kuehnast. Synt. Liv. p. 205 sq. p. 208 sqq. Kuehner. Gramm. Lat. II, § 33, 3. 41, 1. 2, a. b. Gossrau. Gr. Lat. § 459, 1, an. 2.

128. Cf. Servii ep. Fam. IV, 12, 2.

Fam. VI, 11, 1: Dolabellam antea tantum modo diligebam; obligatus ei nihil eram. Fam. III, 7, 5: Cum ea consecutus nondum eram, quae sunt hominum opinionibus amplissima, tamen ista vestra nomina numquam sum admiratus. Fam. XVI, 3, 1: Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederam, unum diem commorati sumus, quod Quintus nos consecutus non erat. Fam. II, 17, 4: Rationes mei quaestoris nec verum fuit me tibi mittere nec tum erant confectae. Q. F. II, 6, 1: Huic convivio puer optimus, Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit.[129]

Sed etiam activa Plusquamperfecti forma satis saepe hanc Imperfecti naturam sibi sumpsisse videtur (cf. § 83).

Fam. II, 15, 5: De Ocella parum ad me plane scripseras et in actis non erat. Q. F. II, 5, 1: Dederam ad te litteras antea, quibus erat scriptum Tulliam nostram Crassipedi pr. Non. April. esse desponsam, ceteraque de re publica privataque perscripseram. Postea sunt haec acta. Att. VIII, 11 D, 3: At mihi, cum Calibus essem, adfertur litterarum tuarum exemplum, quas tu ad Lentulum consulem misisses. Hae scriptae sic erant, litteras tibi a L. Domitio a. d. XIII. Kal. Martias allatas esse, earumque exemplum subscripseras, magnique interesse rei publicae [scripseras] omnis copias primo quoque tempore in unum locum convenire. Att. XV, 5, 3: Varro autem noster ad me epistulam misit sibi a nescio quo missam — nomen enim delerat — in qua scriptum erat veteranos eos, qui reiciantur . . . improbissime loqui. Att. XIII, 32, 3: Et, quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti, credo, quia διὰ σημείων scripseram. Att. II, 16, 4: Ait se de consilii sententia rem ad senatum reiecisse: nondum videlicet meas litteras legerat, quibus ad eum re consulta et explorata rescripseram non deberi. Cf. declaraveram Fam. IV, 9, 1. Att. VI, 6, 3: Adsentior: fieri non potuit aliter. Nam quas multo ante acceperam litteras, in quibus ἐπέχειν te scripseras, quid esset mihi faciendum de relinquendo, eae me pungebant.

Att. IV, 5, 1: Non est credibile, quae sit perfidia in istis principibus, ut volunt esse et ut essent, si quicquam haberent fidei. Senseram, noram inductus, relictus, proiectus ab iis; tamen hoc eram animo, ut cum iis in re publica consentirem. Idem erant, qui fuerant. Vix aliquando te auctore resipui. Att. I, 17, 2: Sed tamen hoc me ipse consolabar, quod non dubitabam, quin te ille aut Dyrrhachii aut in istis locis uspiam visurus esset Quod cum accidisset, confidebam ac mihi persuaseram fore, ut omnia placarentur inter vos non modo sermone ac disputatione, sed conspectu ipso congressuque vestro. Fam. I, 9, 16: Sed, quod de illo acceperant aut etiam suspicabantur, de me idem cogitabant, abiectore animo me futurum. Fam. I, 2, 1: Itaque postridie placuit, ut breviter sententias diceremus; videbatur enim reconciliata nobis voluntas esse senatus, quod cum dicendo tum singulis appellandis rogandisque perspexeram. Cf. perspexeram Fam. V, 2, 6. VI, 8, 1. Att V, 8, 2: Id ego ita fieri volui de C. Duronii sententia, quem et amicissimum Miloni perspexeram et talem virum, qualem tu iudicas, cognoram. Fam. IV, 1, 1: Profecto aliquid opis occidenti

---

129. Cf. Servii ep. Fam. IV, 5, 4.

rei publicae tulissemus. Cognoram enim iam absens te haec mala multo ante providentem defensorem pacis et in consulatu tuo et post consulatum fuisse: ego autem, cum consilium tuum probarem et idem ipse sentirem, nihil proficiebam; sero enim veneram, solus eram, rudis esse videbar in causa, incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. Att. II, 20, 1: Anicato, ut te velle intellexeram, nullo loco defui. Att. XII, 7, 1: Sed tamen permisi; tibi enim intellexeram non displicere. Cf. intellexeram Fam. III, 3, 2. Q. F. II, 4, 1. Att. IV, 2, 3: Hic cum etiam illi infirmi partim admirarentur, partim irriderent hominis amentiam, ego statueram illuc non accedere, nisi cum consules ex senatus consulto porticum Catuli restituendam locassent. Cf. statueram [Brut I, 3, 4]. constitueram Att. XV, 28. Fam. XVI, 12, 2: Equidem, ut veni ad urbem, non destiti omnia et sentire et facere et dicere, quae ad concordiam pertinerent; sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam iis, qui boni habentur, ut pugnare cuperent me clamante nihil esse bello civili miserius. Att. XV, 2, 4: De Alexione doleo, sed quoniam inciderat in tam gravem morbum, bene actum cum illo arbitror. Fam. VII, 3, 2: Cuius me mei facti paenituit non tam propter periculum meum quam propter vitia multa, quae ibi offendi, quo veneram. Fam. IX, 6, 3: Scio te semper mecum in luctu fuisse, cum videremus . . . extremum malorum omnium esse civilis belli victoriam; quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos veneramus. [Brut. II, 7, 2: Itaque res in eum locum venerat, ut, nisi Caesari Octaviano deus quidam illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis et turpissimi M. Antonii veniendum fuerit, quocum vides hoc tempore ipso quod sit quantumque certamen]. Fam. IV, 14, 2: Quibus si ii vicissent, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram, tamen intellegebam, et iratorum hominum et cupidorum et insolentium quam crudelis esset futura victoria. Att. VI, 1, 4: Itaque duas ei praeterea dederam; sed ii, quibus petierat, de provincia decesserant. Att. XIII, 19, 4: Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Pisoni darem. Ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quod omnes illi decesserant.[130]

Huc pertinet locus, cuius in similibus interpretandis grammatici nostri dissentiunt,[131] Att. V, 20, 4: At ille cohortem primam totam perdidit centurionemque primi pili, nobilem sui generis, Asinium Dentonem, et reliquos cohortis eiusdem et Sex. Lucilium, T. Gavii Caepionis, locupletis et splendidi hominis, filium, tribunum militum. Sane plagam odiosam acceperat cum re tum tempore.[132]

§ 98. IV. Nonnunquam assimilatione quadam Temporum Plusquamperfectum usurpatum videtur pro Perfecto aut Imperfecto.[133] Fam. XIV, 15: Constitueramus, ut ad te antea scripseram, obviam Ciceronem Caesari mittere, sed mutavimus consilium, quia de illius adventu

130. Cf. Planci ep. Fam. X, 21, 2. D. Bruti ep. Fam. XI, 13, 4. Caelii epp. Fam. VIII, 11, 1. 13, 2.
131. Cf. Eman. Hoffmann. l. c. p. 18. Weissenborn. Synt. § 12, an. Krueger. Gramm. Lat. § 448 an. et not. Zumpt. Gramm. Lat. § 508, an. 2. Haas. ad Reisig. Scholl. an. 456, p. 505. Kuehner. Gramm. Lat. II, § 35, 2. Kuehnast. Synt. Liv. p. 212. Gossrau. Gramm. Lat. § 459, 2.
132. Cf. Caelii ep. Fam. VIII, 6, 1. Planci ep. Fam. X, 21, 4.
133. Cf. Haas. ad Reisig. Scholl. an. 456, p. 505.

nihil audiebamus. Att. III, 18, 1: Exspectationem nobis non parvam attuleras, cum scripseras Varronem tibi pro amicitia confirmasse causam nostram Pompeium esse suscepturum . . . Utrum id nihil fuit, an adversatae sunt Caesaris litterae? an est aliquid in spe? Etiam illud scripseras eundem „secundum comitia" dixisse. Att. XII, 23, 1: Putaram te aliquid novi, quod eius modi fuerat initium litterarum . . . sed videlicet meis litteris respondisti, ut de foro et de curia. Att. XIII, 6, 4: Tuditanum istum, proavum Hortensii, plane non noram et filium, qui tum non potuerat esse legatus, fuisse putaram. Mummium fuisse ad Corinthum pro certo habeo. Q. F. II, 6, 2: Lucceium convenire non potueram, quod abfuerat. Videre autem volebam, quod eram postridie Roma exiturus et quod ille in Sardiniam iter habebat. Hominem conveni et ab eo petivi, ut quam primum te nobis redderet. Statim, dixit.